


P. Francisci Spinulæ


MEDIOLANENSIS

OPERA.

Poematon libri III.
Carminum libri IIII.
Epodon liber I.
Carminum secularium liber I.
Elegorum libri X.
Hendecasyllaborum liber I.
Epigrammaton libri III.



CVM PRIVILEGIO.



Franc:  Massuc:




VENETIIS, Ex officina stellæ Iordani Zileti.
M D L X I I I.

Conſtantini Cati, Alexandrini, de Spinulæ Poëmatis, diſtichon.

Antiqui ut uates modulata poemata condis,
Spinula, quæ certè ſecula cuncta legent.

AD MAXIMILIANVM Romanorũ Boemorumq́ Regem, & Auſtriæ Archiducem S. P. D.



P. Franciſcus Spinula Mediolanenſis.



IN tanta Venetorum, totiusq́ Europæ lætitia, Maximiliane Rex Regum potentiſsime, & ego de Romanorum ſceptro ad te delato, quod nulli mortalium magis, quàm tibi, à Principibus debebatur, incredibili gaudio exultaui. Cùm enim adoleſcens in Belgica patruo Imperatori bellum gerenti magnum illud tuæ fortitudinis ſpecimen dediſſes, te eius & patris ſucceſſorem

non dubitaui futurum. Cùm autem in Hiſpaniam proficiſcens, & illinc ad Germanos rediens, maximis in omneis officijs, incredibiliq́ magnificentia, & inuſitata humanitate tantam tui expectationẽ concitaſſes, illud ſine dubio fore omnibus prædicaui. Nunc uerò, cùm in ore ſit omnium mortalium, quanto Germaniæ ipſius Principum conſenſu iſta tibi corona decreta ab Imperij Romani Electoribus fuerit, Deo omnipotenti gratias & habeo & ago immortaleis. Nulla enim alia re, nullo euidentiori ſigno & argumento potuit humanarum rerum prouidentiam declarare, quàm in tanta Europes regnorum perturbatione, & noſtræ religionis

confuſione, temporumq́ calami-
tate, te Regem paterni Imperij
participem mortalibus uniuerſis
præficiendo. Etenim ſperat hæc
ciuitas, & Principes uniuerſi, te,
ſicut pater patruusq́ ſemper fece-
runt, non prouincijs modò pro-
ſpecturum, ſed etiam grauem re-
ligionis Chriſtianæ curam eſſe ſu-
ſcepturum. Cæterùm, cum Tur
riani, Baronis ornatisſimi, paren
tis tui Imperatoris ad Venetos le-
gati, conuiuio celebritate legato-
rum omnium huiuſq́ nobilitatis
refertisſimo ita, ut fit, interfuiſ-
ſem, non potui facere, quin apud
eos ipſos tibi factam Regiæ di-
gnitatis nouam accesſionem ad
ſymphoniæ tibiæq́ cantum modis
Heroicis concinerem. Quos

quidem modos, cum alijs meis carminibus coniunctos, bonorum omnium persuasu, ideò tuam ad maiestatem misi, ut ijdem tibi & celeberrimæ populi huius meæq; gratulationis, & præconij tuis Heroicis uirtutibus tributi graues idoneiq; testes essent. Vale. Venetijs XVIII. Calen. Ianuar.

CIↃ IↃ LXII.

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS POEMATON

Liber primus.



In Francisci Turriani, Baronis illustrißimi, Ferdinandiq; Imperatoris & Consiliarij & ad Venetos oratoris, conuiuio, ad discumbentes & Principum legatos Consiliariosq;, & alios uiros nobiles, de Romanorum regno ad Maximilianum delato.



AVDETE Heroes, felici hoc tēpore nati,
Gaudete, æterni quos indulgentia cœli
Magna beat, lætos dono pietateq; Diuûm.
Maximianus enim, gentis spes maxima nostræ,
Imperij columen Romani, Martis alumnus,
Nomine lætatur proaui, sceptroq; parentis.
Carmine tu celebres Pater hunc ô maxime Pani,

In magno cuius radiant insignia Olympo:
Hunc Huralte canas, proaui qui fortia facta,
Et patrui dextro superabit Marte triumphos:
Hunc summa dicas Soleri docte camœna,
Qui facilis patres uincet pietate potentes:
Hunc Falete grauis, qui dixti Cæsaris arma,
Ad Musam rediens, meritis iam laudibus effer:
Vosq; alij, læta hæc decorantes prandia magni
Turrigeri, impositam Regi cantate coronam.
Nam cecinere Ducem fatalia pensa trahentes
Hunc fore, Christigenûm duros qui funderet hostes,
Cunctaq; deleret priscæ uestigia fraudis.
Huic pater ignipotens fabricauit fulmina Regi;
Huic thoraca suum Mauors, Tritoniaq; hastam,
Telaq; dat Phœbus sua, queis Pythona peremit;
Communitq; uiri Rex Iuppiter ægide pectus,
Illi Neptuno proprium donante tridentem:
Frangat ut hostilem turmam insuperabilis ipse,
Intactamq; super uolitet Victoria gentem,
Facta pede incerto cùm miles carmina dicet.
Sicq; triumphabit, redimitus tempora lauro;
Pacatumq; reget patrui uirtutibus orbem.
Aurea non igitur Parcarum hæc stamina mundus
Gaudeat, & superi non laudet numina Patris?
Qui genus humanum solio respexit ab alto,
Hunc per magnanimũ, quem secula cuncta loquentur
Horribiles ab eo statuens auertere clades.
En Padus exultat, Garumna, & Tybris, & Ister:
En syluæ & saltus uoces ad sidera iactant:

En

En Fauni in numerum ludunt, Dryadesq; puellæ,
Et uino exhilarant lætis conuiuia in antris:
En Deus Arcadiæ calamos Pan inflat agrestes,
Dicit eis mistumq; decorus carmen Amintas,
Alterno quatiunt Syluani dum pede terram,
Dum saltant hilares Nymphæ, Satyriq; bicornes.
At Francisce, Deis est quæ gratissima cunctis,
Quam Pater omnipotens uultu radiante serenat,
Hanc epulæ lucem celebrent, & uina quotannis:
Hac citharæ redeant, & suaui tibia cantu,
Atque ferant Superis tibi debita dona beatis,
Raimundusq; puer, Laura & dulcissima coniux.

Ad Iosephum Alberam Genuensem, Pauli fil.

Accipe quæ hesterna sunt nobis uisa quiete,
Amplius & sortem ne lacrimere tuam.
In medio terræ stabat pulcherrima curuis
Contingens ramis arbor utrunque mare.
Quæ sic incepit paulatim crescere, celsum
Candida ut illius tangeret astra caput.
Dij maris & terræ & certatim carpere uidi
Cœlestes eius dulcia poma manu.
Consului Phœbum. respondit: Maxima amico
Fata tuo donant, & sine morte decus.
Eius iustitiam laudabit sera uetustas,
Eius uirtutes omnia secla colent.

Ad

Ad Franciſcum Turrianum, Baronem illuſtriß. Ferdinandiq; Imperatoris & Conſiliarium & ad Venetos oratorem.

QVæ mihi legiſti magni antiquiſsima Muſcæ
Teſtamenta, Napi Turrigeriq; patris,
Fortibus Inſubrium, quos edomuere feroces
Anguigeri, te ortum Regibus eſſe docent.
Nuncius Huraltus Regis cupit illa uidere:
Mitte utramque mihi protinus ergo notam.

Ad Stephanum Mariam Hugonium, de Matthiæ Hugonii, Brixiani, Phamaguſtani Epiſcopi, elegantiſsimis operibus.

DVm tua cum dulci Marcello prædia uiſis,
Hîc ego Matthiæ numeroſa uolumina Patris
Perlego; qui Parmã & Viterbum rexit & Vmbros
Peruſiamq; urbem: quorum uos quippe locorum
Illius Hugoni meritis eſſe audio ciues:
Quem mors eripuit uatem, dum Roma pararet
Purpureas ueſtes atque ipſo præmia digna.
Cuius te nolim magni Viridaria Patris
Condita ſeruare, in lucem ſed, non ſemel ut te
Orauit ſapiens Hieronymus, edere librum.
Non ego prætulerim Nattæ monumenta diſerti,
Non Thomæ annales chartis Antiſtitis huius.
Spes igitur noſtras age ne remoreris, at iſtud
Iordano precor edendum iam mitte uolumen.

Ad Franciscum Turrianum Baronem illustriss. Ferdinandi Imperatoris & Consiliarium & ad Venetos oratorem.

Quàm uariæq; uices sint rerũ, & quanta potentis
Fortunæ sit uis, Turriger ipse uides.
Nanque tuis sceptrum nostræ maioribus urbis
Eripuit, magnis & dedit Anguigeris:
Inde suo constans dedit illud Sfortiæ alumno,
Egregius Princeps nunc quod Iberus habet.
Non tamen eripuit uirtutem bruta, nec ingens
Cum prisca generis nobilitate decus.
Ipse refers animos patrum uultusq;: creatur
Nam bonus & fortis fortibus atque bonis.
Vt Pater ille Patrum sapiens Raimundus, auorum
Laudas & sequeris splendida gesta Ducum:
Non minus es prudens Castono Antistite, inani
Cuius lætitiæ sors inimica fuit:
Vt profugum Dantem Patriarcha Paganus amanter
Excepit, sanctis uatibus ipse faues:
Ludouicus uti dilexit Episcopus æquum,
Tu ueri leges iustitiæq; colis.
Munificus tanquam Michaël Præsul, honoras
Dicere magna quibus Cynthius ore dedit:
Est quæ miratus Rex olim sæpe Quiritum,
Cùm Romæ orator Cæsaris ipse fores,
Quæ pulchra in cœlum fert Thuscia laudibus omnis,
Quæ Veneti celebrant, & mea Musa canit.

Ergo

Ergo, quæ dederat patribus sors, despice cuncta;
Lætare & quæ sunt hæc bona uera tibi.

De Gabrielis Faloppij Mutinensis Medici & philosophi excellentis morte, ad Carolum Sigonium.

PHœbigena ad superum redijt Faloppius axem
Carole, non ulli, quàm tibi, flebilior.
Hinc abijt meritis sibi naturam esseq; diuum
Testatus nobis omnibus ingenium.
Quanti te faceret, testis Patauina iuuentus,
Testes sunt Veneti, Spinula testis ego.
Vix tandem, oro, uirum parcamus flere beatum;
Ne sua dona, precor, inuideamus ei.
In cœlo en radians sinuosum amplectitur anguem,
Scorpium & Alciden inter & Antinoum:
En Iouis ad uolucrem conuertit lumina, soli
Omnia cui debet, quem sibi iactat auum.

Ad Io. Baptistam Crassum, Mediolanensem, Michaëlis fil.

CRasse, superaui colles; dumeta, rubosq;
Præterij, diræ & morsus serpentis; ad alti
Euasi tandem suprema cacumina montis,
Montis, quē Pallas, Iuno, & Cytherea frequentāt;
Est ubi planicies, & prata uirentia lymphis,
Et riui, & fontes, urbs & ditißima, pleno

Quam super aßiduè uolat aurea Copia cornu,
Omnes cœlicolæ certatim cui sua mittunt
Munera; uita, quies, libertas quam incolit, & pax;
Alter Saturnus sapienter quam regit; unum
Hunc orbem æterni beat indulgentia cœli.
Nec segetes lætas hic urit cana pruina,
Nec teneras cedit uites unquam horrida grando,
Nec feriunt altos montes hic fulmina: semper
Aspicias puros hic surgere ab æquore Soles.
Hic ultro molli flauescit campus arista,
Sentibus uua rubens hic pendet, roscida mella
Hic sudant quercus. tum fallax herba ueneni
Occidit hic, coluberq; & serpens aspera; pascit
Hic lupus inter oues; ueniunt ad pocula damæ;
Sponte sua sandyx agnos hic uestit; amomum
Nascitur hic uulgò; hæc fert omnia denique tellus,
Chara Ioui Diuisq;: solo cui talia Parcæ
Secla suos uni uoluerunt currere fusos.
Hic ego per uirides generosum incedere saltus
Et doceo natum Leonardi texere pulchram
Cum Pane & Satyris uario sibi flore coronam;
Inclyta progenies Venetorum ut uiuere regum
Perpetuò ualeat, Maro ut ingens, atque Catullus.
Has Sol exoriens fulgenti lampade pulcher
Atque cadens lustrat terras, ubi uiuitur æuum
Nestoreum: paßim hic uideas Crasse integer albas
Heroumq; comas sapientum incanaq; menta.
Quid multis? hac si mors felici exulet ora,
Inuideat Superis nostrum non ullus Olympum.

Quò miseri, ualeant Insubres, quos Iouis æqui
Ira furorq; domat, quos sordidus iste Boterrus
Et duri lacerant iterum Gotthi, impia quorum
Hîc facta, inuisum & felix non audio nomen.
Tempus erit, uersis cùm perdita Gotthia fatis
Lugebit: uersas, nunc flentum, in barbara regna
Gaudebunt acies, irato Marte, nepotes.
Spes alat ergo pias mentes, Baptista sodalis,
Nuncq; uiri fortes lætentur; nam genus horum
Barbariam nostris crudelem pellet ab agris,
Atque furens eius subuertet templa domosq;.
Ast ego cum Musis hac in regione beata,
Fata quousque sinent, producam dulcibus æuum;
Dijs & ero supplex, & numina magna precabor,
Vt citò maturent odiosam perdere gentem.

Ad illustriß. & reuerendiß. D. D. Guidonem Ascanium Sfortiam, Cardinalem ampliß. S. R. E. Camerarium.

QVid pater æternus Superûm, sanctißime Guido
Qui caput est omnis fonsq; & pietatis origo,
Qua genus humanum, uolucres, & bellua agrestis
Victa suos foueat natos, tueatur, alatq;,
Quos creat, hunc hominem mox leto destinet, illum
Et uitæ, sicut gens plurima sentit aberrans?
Eius opus mihi quam genui, patris ante tribunal
Tam graue iudicium subeat pars maxima prolis?
Istorum Alecto est auctor, Atq; sinistra,

Quando

Quando refert Paulus sapienti uoce magister,
Vis omnes homines saluos DEVS optime; quando
Virgilius uel ait, Rex Iuppiter omnibus æquus.

Ad Aurelium Portulacam Brixianum, clarissimum uirum, egregium Pij IIII Pontif. Max. cubicularium.

Vidimus his oculis, Aureli candide, dulces
Mira apud Insubres, tibi quæ nos scribere uersu
Iussit Amor, tantæ pietati debitus isti
Est locus ad Lari felicia litora nostri
Ad Solem occiduum uergens, quem tu Addua magni
Præteriens per regna lacus miraris & ora
Formidare soles ingentis hiantia saxi
Ad læuam, refugisq; uomentia fluminis undam:
Qui locus est inter Varenam & mœnia parui
Castelli euersa: ac propius tamen eius ad oras
Dirutus accedit murus, prout uidimus ipsi.
Vmbrifer hîc medius latas, ut ianua Ditis,
Mons aperit fauces, atque imo gutture ad auras
Sursum effundit aquas, tingunt quæ immania saxa,
Præcipitesq; ruunt per uastum ad litora montem.
Vt lucem aduentus abitusq; obseruat hirundo
(Si uera est fama, ille & uerum prædicat orbis)
Vere nouo torrens certo exit tempore, desit
Aestate: at cùm exire parat, furit intus in aluo.
Aduentansq; edit mugitum partus, ouile,
Atque nouus pastor trepidat, mirantur & ipsi

Monticolæ portento; exterrita protinus ales
Euolat aduersi ad montis loca summa. cuique,
Huic Aestas latices cùm torrida siccat, mire
Per guttur fili ductu licet, omnis ut error,
Obscuriq; dolus Labyrinthi, ancepsq; uiarum
Cursus uitetur, licet in penetralia uentris
Immensi cæcum per iter descendere; & aluum
Visceraq; in tenebris rimari lumine claro
Tædæ, quà fluuii ueniunt ad guttur & undæ.
Atque uia interior paulatim stringitur intus,
Vt nemo ualeat procedere longius, atque,
Vnde fluant gelidæ lymphæ cognoscere. celsum
Si montis superes caput, atque ingentia membra
Scrutere, haud uideas quà in uentrem flumina tanta
Perueniant. huc nam docti uenere Latini
Vates, & multi, qui huius cognoscere causam
Mirandi effectus nunquam potuere, Tyranni.
Sed uerbis nequeo satis hæc narrare: uidenda
Sunt oculis, compar, coram: miracula tanta
Non ullus ualeat dictis æquare canendo.

Ad Federicum Malatestam Mantuanum,
Comitem illustr. uirum ornatiss.

Connubiũ infelix tibi dũ Comes inclyte narro,
Vsu quàm sapiat fœmina docta uide.
Est Paridi coniux Anna, & Constantia Turnio:
Hanc uir delitijs priuat, & Anna uirum.
Continuum Turno distillat ab inguine uirus,

Atque Annæ uenter totaq́; uulua tumet.
Pulchra suum fatum Constantia questa, pudicam
Sic Annam alloquitur: Da mihi quæso uirum.
Sic Paris & Turnum: Succurrat amicus amico.
Quæ de te queritur, da mihi quæso tuam.
Esse nefas homini Turnus respondit, & Anna:
A' nullo esse uiris ista petenda bonis.
At puerum Veneris prece sanus uterque fatigat:
Isq́; ægrum iaculis cædit utrunque feris.
Poscenti hinc thalamos Paridi Constantia, Nocte
Quid prius hac ualeas, experiamur, ait.
Nam tua despiciam connubia, mi Paris, & tu
Si potes uxori basia sola dare.

Ad Aurelium Lampugnanum, Mediolanensem, Medicum & Philosophum excellentem.

Nobilis Aureli pergas mortalia cuncta
Temnere, contentus uiuere sorte tua.
Quilibet incassum tristatur, gaudia gaudet,
Incassum metuit, spem fouet, odit, amat.
Tempus abit fugiens. & erat nam quod fuit olim,
Quodq́; est iam fuerit, iamq́; fuisse putes.

Ad illustrißimum & reuerendiß. D. D. Guidonem Ascanium Sfortiam, Cardinalem amplißimum, S. R. E. Camerarium.

QVòd bonus orauit me Aurelius, ut tibi mittam
Quæ Veneto cuidam scripsi de mœnibus urbis
Adriacæ, hæc eadem tibi mitto Sfortia magne.
ANNIS à decies septem, Mocenice, furentis
Deseret unda maris Venetam, inquit Gauricus, urbẽ,
Obruet atque alias aduersi litoris oras.
Quid mirare? minus credis sic uoluere Parcas?
Non'ne ex parte Tyros, Mocenice, recessit ab alto?
Aequoreus fugiens aliò non Iuppiter olim
Rauennam, Ariminum uiridiq; reliquit in agro?
Quæ clara & nomen pelago dedit Adria, pontus
Obruit hanc, cuius uestigia multa sub undis
Præteriens hodie furiosis nauita cernit.
Inter & Ariminum & Pisaurum quæ urbs erat alta,
Catholicæ & fatò simili cecidere penates.
Pontus erant aliâs Oriagi prædia; Ciris
Nidum ubi deponit, piscis ludebat, ut inquit
Fortia qui scripsit Venetorum facta potentum.
Fluctibus ambitæ fuerant Antissa, Pharosq;
Et Phœnissa Tyros, quarum nunc insula nulla est.
Leucada continuam ueteres habuere coloni,
Nunc freta circumeunt. Zancle quoque iuncta fuisse
Dicitur Italiæ, donec confinia pontus
Abstulit, & media tellurem reppulit unda.
Si quæris Helicen & Burin, Achieïdas urbes,
Inuenies sub aquis, & adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.
Desertas ab aquis terras, atque oppida mitto,
Prætereoq; Getas, sulcantes æquora, in illis

Vnius

Vnius haud urbis fastigia summa uidere.
Magnus Aristoteles in terram uertier æquor,
In mare tellurem non edocet, ille parentis
Naturæ interpres, cuius legis usque libellos?
Nam ueluti si quis uasa in plenißima uino
Paulatim uiciam iacet, dum compleat illa,
Paulatim uiciæ crescenti cedat Iacchus,
Stercora sic, lapides, ferrum, & quæ cuncta uetustas
Hîc longa absumit portata huc lintribus, imum
In mare quæ iacimus, complebunt ista lacunam
Hanc, quam portus obit, tellusq; emerget, & humor
Decedet salsus paulatim; & totus abibit.
Quoq; urbem plures habitant, Natura parens hoc
Absoluet citius, quæ uir doctißimus infit.
Larga dabunt urbem circum tunc pabula campi,
Et paßim in syluis lætum requiescet ouile,
Meduacusq; Lares Venetos puro amne secabit.
Vir sapiens, igitur uobis quod Gauricus ingens
Præcinuit uates, id fiet tempore in illo.
Prospicite, ut libet, & sordes auferte quotannis,
Et mundate uias cymbarum: non satis istud,
Non satis. omnino est hoc ineuitabile fatum.

Dialogus, in quo quidem Albertus Martinus Venetus, & Patauinus colloquentes inducuntur.

QVem Pataui in muris uestras inuenerat altis
Fossor, pes mancæ conuenit ille Deo.
Huncq; meo Rhodius genitori miserat, urbis

 Mœnibus

Mœnibus in patrijs se reperisse canens.
Nunc Venetis illum nostris uolo uendere, Regi
Quem dare Francisco noluit ante parens:
Aeneus ut nobis stet Apollo in sede beata,
Ad Marci proceres quam posuere uiri.
Ad uos qui latuit pes tot rogo secula Docte?
Atque Rhodi corpus qui sine parte fuit? D.
Esse pedem nostris inuentum hunc mœnibus hercle,
Germanum Phœbi constat & esse pedem:
Qui uerò fuerit pesq; ad nos, corpus & illic
Mancum, scire homini non datur ista mihi.
Ipsius hinc mittas scitatum oracula Diui;
De se qui poterit dicere cuncta tibi.

Poëmaton primi libri finis.

P. FRAN-

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS POEMATON

Liber secundus.

Ad illustrißimum & reuerendißimum D. D. Ioannem Grimanum, Patriarcham Aquileiæ.



Carmina, quæ fecit quondam Phœbæa sacerdos,
Versa, Pater Patrum, mittimus illa tibi:
Ad Latias iterum placuit quæ ducere Musas,
Barbara quòd nimium uersio prima foret.
Fœmina quæ potuit de Principe dicere CHRISTO,
Virgine supremi deq; parente DEI,
Iam redit, & uirgo, & redeunt Saturnia regna,
Descenditq; polo iam noua progenies,
Præcinuit scelerum meritas hoc carmine pœnas,
Præcinuit sancto præmia digna gregi.

Conuersio Sybillinæ ἀκροςίχιδος *, de* IESV CHRISTO*, domino nostro.*

IVdicio horribili sudabit terra tremiscens,
E sede æthereа sola cùm descendet ad ima
S upremus, cunctos homines ut iudicet orbis,
V index; innumeris quem cum cœlestibus insons,
S uspicientq; mali uenientem terminum ad æui.
Chersos erit tellus atque spinosa, potens cùm
R ex sub nostra animas lustrabit imagine cunctas.
I llico proijcient homines signa omnia, opesq;.
S pumans æquor edent ignes, terrasq;, polumq;,
T artareum & postem lambent tenebrosaq; regna:
V nde hominũ erumpens lucem ipse tuebitur & grex
S anctorum, æternum & sontes fera flamma uorabit.
D eteget arcana, & nigris abstrusa tenebris
E ruet; in mundo ut pateat quid quisque peregit
I ngenti. ærumnæ, gemitusq;, dolorq; uigebunt.
F ulgens Solq; caput ferrugine, lucida signa
I n cœloq; tegent: pulchra & splendore carebit
L una. hinc attollet ualles, subsidere montes
I s coget; celsum ut mortalibus & graue ne sit
V squam, ut agris colles æqui sint. æquora nautis
S pernentur. Pater attonitas mox fulmine terras
S uccendet: fontes arescent, flumina & alta.
E cœlo horribili stidebit buccina cantu,
R ege iubente, orbi magnæ prænuncia cladis.
V astum Orciq; chaos monstrabit terra dehiscens.

Adueniet

A duenict sublime Dei mox densa tribunal
T urba, ducum regumq; , pluet cùm sulphur & ignis.
O mnes atque crucis ueneranda insignia cernent,
R obur & auxilium credenti optabile, ligna,
C erta salusq; bono, damnumq; offensa nocenti.
R ore homines lustrans bis senum fontium acerbus
V irga pulsabit ceu pastor ferrea ouile.
C armine cantatur Deus isto maximus, atque
S eruator pro homine, æternus rex mortuus idem.

Ad illust. & Reuerendiß. D. D. Hippolytum Capilupum, Fanensem Episcopum, & Pij Pontif. Max. ad Venetos legatum.

NOn uatem eximius se dicit Horatius esse,
Nec te, qui potas Aganipen, optime Præsul
Quem decus appellat uatum Anguiger optimus: isti
Attamen indocti, qui uix concludere uersum
Norunt, dant hodie sibi nominis huius honorem:
Quorum si nosset uitium is, Lucilius à quo
Crispinusq; amens feriuntur cornibus, in queis
Fœnum habet, à cunctis fugiendus, fortè poëtas,
Et dignos, Catij, dixisset, qui noua chartis
Illudant præcepta, ingentem qualia uincunt
Pythagoran, Anytiq; reum, doctumq; Platona.

Ad illustriß. & reuerendiß. D. D. Ioannem Grimanum, Patriarcham Aquileiæ.

QVàm turpe Consulatui fuit, Cato
De se solebat ille magnus dicere,
Catonem in urbe non fuisse Consulem.
Quàm turpe sanctis Patribus Quiritium est
In purpura Grimanum eos inter minus
Fulgere adhuc, de te inquit Adria furens:
Præsentia eius atque maiestas grauis,
Eius nitor uirtutis & sapientiæ
Quantum sacro splendoris afferret loco.
Sed nobilem fatalis inuidia domum
Ad tempus istam deprimit. non'ne inclytus
Antonius Dux urbis huius, qui fuit
Auus tibi, Hieronymusq; posteà
Clarus parens, duo & Patres in purpura
Digna micantes, frater eius & tuus,
Permulta paßi sunt ab inuidiæ impetu.
At inuidi quicunque mortales bonos
Soletis impedire, uos odit Deus
Vos & Quirini Martia odit ciuitas.
Si quod parauit Vrbis electißimo
Princeps uiro, illud non teneret conditum
Per uos, uidet Roma alta, quàm suus foret
Felix senatus, quàm beata concio.
Per hunc enim se sperat antiquum decus
Et religionis posse fideiq; assequi.
Quæ uos amatis, ipse nil curat Pater:

Quæ

Quæ uos amatis negligit: nihil crepat
Mortale, nil desiderat uanum & fugax.
Fallacium contemptor unus omnium,
Est hoc in uno, peruenire quà ad Deûm
Beata templa possit immortalium.


Ad Rainutium Gambaram, Brixianum, Comitem illustriss. Brunorij fil.

Nostra, Bocentauro cantu gaudente, potentũ
Ante Ducem Venetûm Musa tacere nequit.
Musa tacere nequit, patres ubi Duxq; frequenti
Inter legatos nobilitate sedet,
Legatos Cosmæq;, & Gallorum, atque Philippi,
Cæsaris & magni, Pontificisq; Pij.
Nos cymbæ innumeræ circundant; eminet ingens
Machina, mille uirûm pondere pressa graui.
In sede & supera partim stant, cum Duce partim
Atque sedent mecum, conspiciuntq; Patres,
Patres, quos semper dicent mea carmina, Patres
Quos uel Saturni uel genuere Numæ.
Atque immensa capit domus illos, quanta Senatus
Aula ubi magnorum conuenit Insubrium.
Hanc ego mirabar, mihi cùm Vincentius ipse
Mox Maurocenus dulcis amicus ait;
In toto orbe potens rex, & uir non habet ullus
Diuitias & opes, taleq; nauigium.
Quattuor ex auro tabulisq; sedilia eburnis
A prora ad puppim longa nitere uiden'

Tuq; inducta in eis genitorem lætus in umbra
Purpureum, magnos adsideasq; Duces.
Astra micant curuis laquearibus, aureus ordo
Estq; columnarum factus ab arte triplex.
At regina micans in prora Solis ad ortum
Respicit, & libram, lucida & arma gerens,
Quæ super arma, sedetq; leones: hanc tegit umbra,
Atque ad eam uolitant aurea signa decem:
In malo uolitant summo uexilla, uidetur
Magnanimæ inq; illis picta figura feræ.
Quadraginta agitant remos hominumq; caterua
Bis sexaginta uerrit utrunque mare.
Ante Senatores tibicen Pythia summos
Cantat; dulcisonus concinit inde chorus.
Dij maris & terræ concurrunt: Adria in undis
Aspicit, ut capiat debita dona sibi.
Dant plausum iuuenes & euntibus, omnis & ætas;
Et Mars bombardis fulminat innumeris.
Fumosa eripuit nubes Solem illico oborta:
Nec freta, nec salsæ conspiciuntur aquæ.
Vt longè à portu uentum est, conuertitur ampla
Nauis, consurgens Dux aperitq; fores,
Aurum & continuò fuluum stans iactat in æquor,
Terrarum ut dominus, ut dominusq; maris.
Hic ego, Romuleam si non Rainutius urbem
Isset, & Eoïs notus, & Hesperijs,
Hæc modò nobilitas, condens secla aurea nobis,
Hæc modò gauderet regia puppis eo;
Cœruleus Triton, Nymphæ maris, Amphitrite

Confluerent, cœptis annuerentq; meis:
Aequoreusq; caput diuinum efferret ab undis
Iuppiter, & coniux, Nereïdesq; simul,
Nutricum tenus extarent è gurgite uasto,
Saltarent dulces ad modulosq; tubæ:
Qui sit honos eius canerem, laudesq; parentis
Brunori, fratris purpureumq; decus.
Dicenti iuuenis præsens, ut Apollo, faueret,
Dicenti haud possent uerba deesse mihi.
Non me carminibus Tonsus superaret amicus,
Non me Romanus uinceret Aonius.
At mea quæ necto hæc aduersus uota per Indos
Heu iactat nigros Africus atque Notus.
Quando erit, ut ueniam Romã, mi Gambara, & ora
Contempler, uultus aspiciamq; tuos?
Quando erit, ut ueniam, & non ullus nunciet antè,
Sed uidear cœlo missus adesse tibi?
Tum mihi, qualis eris, nocturna uesteq; curres
Obuius, impexa rusticiorq; coma.
Dij precor ô uarijs tandem me exoluite curis,
Vim morbi, insanas & cohibete minas.
Dij precor ad Tyberim magni me ducite amœnum;
Vt mihi nascatur Lucifer ille citò,
Vt ueniat misero tandem Sol candidus, & post
Fulgeat infestas una serena dies.

Ad



Ad P. Franciscum Spinulam Mediol. Io. Brunorius Gambara Brixianus, Comes.

VIx tandem patrio retinet te Brixia uultu,
Diues opum, & Veneto sub imperio.
Istic ingenuas exerces Palladis artes,
Atque inter Musas ora diserta moues.
Id nempe ad nostras rumor quidam attulit aures,
Tu tamen huc primùm scribere debueras,
Ne tantùm non nota essent tua commoda nobis,
Qui te præ cunctis Spinula diligimus.
Sed cur ista magis cepere obliuia miror
Te, quòd ab officio tam citò destiteris.
Nec tua iam pridem, quorum lætabar honore,
Venêre ad nostras carmina docta manus.
Hinc reor aduersas nobis astare sorores,
Quæ nemus Aonium, quæq; Helicona colunt,
Vena ingrata fluit sine te Permeßidos undæ.
Quare cum doctis nil mihi uirginibus,
At te, cui uatum tutela aspirat Apollo,
Scribere facta decet fortia Cenomanûm,
Et sacros cineres, Diuorumq; aurea dona,
Atque urbem gelidis fontibus irriguam:
Thracius ut, celsas qui primus condidit arces,
Gallica Troianas duxit in arua manus,
Fertilibusq; nouam posuit sub collibus urbem,
Quam celeri Melo turbidus amne secat.
Aucta opibus creuit, Romana antiquior urbe,
Quam-

Quamuis & Phrygios utraque iactet auos.
Sic quodcunque tibi ueniet de pectore carmen,
Te præcor omne meæ seruiat hoc patriæ.
Culta faue, iam surgit opus, nunc Brixia uati,
Quale sonat dulci Cynthius ipse Lyra.
Non ingrata fuit diuino Roma poëtæ,
Cùm caneret fractus Laomedontis opes:
Illi & Parthenope largita est munera uiuo,
Quin etiam extincto busta superba dedit.
Et, qui Pelignis uates est natus aquosis,
Extremum Scythica clausit in urbe diem:
Illic nec tumuli caruit combustus honore,
Nec lacrimas duri continuere Getæ:
Qui, quanquam rigidum fuerat proiectus in orbem,
Publica uirtutis præmia ab hoste tulit.
Et caput illius sacra cinxere corona,
Laudibus ornarunt & monumenta uiri.
Hoc uerè est patrios sine cæde extendere fines,
Atque homines semper demeruisse bonos.

Spinulæ responsum.

Candide Brunori magnis lætare poeta
Insubribus gentem me eripuisse tuum;
Atque doles, dulci intentum sic me esse camœnæ,
Vt nimis in longum scribere destulerim:
Me nisi iußisset ciues hos dicere noster
Hugo, tibi citius littera missa foret.
Nanque tuæ capient nos musæ obliuia nunquam,

Qui

Qui te præ cunctis, uir bonæ, diligimus.
Sæpe tuas cecini laudes & facta parentum,
Quanquàm non mißi carmina facta tibi.
Hac mihi qui uersus exscribat in urbe nec ullus
Est, nec fidus homo, qui tibi scripta ferat:
Cùm rura & linques castelli mœnia, & urbem
Inuises patriam, protinus illa leges.
Quòd sine me scribis tibi non astare sorores,
Te Phœbi & sacros deseruisse choros,
Vt cupis, idcirco te non cantare ualere
Hanc gentem, & patrum fortia facta tuûm,
Irriguamq; rogas gelidis ut fontibus urbem
Aurea & ipse Deûm dicere dona uelim,
Gramineos colles, & prata uirentia, & agros
Pingues, gens & quo creuerit ista modo,
Gentis & auctorem, celsas qui condidit arces,
Qui mira hunc coluit fertilitate locum;
Pendet opus cœptum: tua nam gens patria nostros
Contemnit uersus, despicit atque lyram.
Exceptis paucis, sic uatum ingrata labori est,
Ingenio ut, Musis inuideatq; meis:
Opprobrijs etiam falsis me mordet, amatq;
Qui famosa in me carmina composuit,
Atque ea fert cunctas urbis rescripta per ædes,
Dat lecta & socijs illa legenda suis:
Ad sextum mensem haud pendit promissa, minori
Ex parte at tantùm dona recepta dedit.
Hanc ita agunt furiæ, ut minitetur uulnera nobis,
Optet ad Insubres nosq; redire focos.

Te, sapiens, igitur, quos & Pater æquus amauit,
Paucos, ad cœlum laudibus usque feram.
Cætera turba frequens numerus, per carmina uatum
Non unquàm Stygijs eripietur aquis:
Serpit humi, genio gaudens indulgere sinistro,
Nata uoluptati gens odiosa bonis;
Gens odiosa bonis tantùm mortalia curat,
Non pecude, & melior, non meliorq́; feris.

Ad Ioannem Sieninium Pollonum, Ioannis Gologoriensis domin.

Quæ prius Hesperiam Graio migrauit ab orbe,
At modò Germanis posthabet Ausonios,
Dum uisit Latium Tyberini fortè rogatu,
Incidit in Phœbi casta Minerua chorum:
Phœbus & occurrunt Nymphæ: Tritonia ab illis
Accepit gaudens oscula, plura dedit.
Deducti in Latium non, Diua, reliquimus Argos,
Mite ut haberemus, dixit Apollo, solum?
Quid fugis hunc igitur populum? Germanica tellus
Quid magè dic terris omnibus una placet?
Quæ fuit in Latium ueniendi causa, coëgit
Hæc, ait, in sedes Pallada abire nouas.
Non'ne subesse uides Graiæ uestigia fraudis,
Moribus infecta hic omnia barbaricis?
Quod colo Ioannis regnum, & Germania tota est
Frugalis, simplex, & pietatis amans.
Casta illic soboles, & amabilis, inscia culpæ,

Fortior

Fortior ac Italis ingeniosa magis.
Huic ego Bellona, & Iuno, Mauorsq; cruentus,
Dijq; fauent omnes, & pater ipse Deûm.
Tu quoque si faueas huic, ut scis uoluere Parcas,
Hoc erit ingenti maius in orbe nihil.
Annuit arcitenens Deus. illa hæc addidit; Istis
Sed Phœbe ò telis est opus, & Pharetra.
Concidit extremas serpens immanis in oras
Saxoniæ, quales India tosta parit.
Alter perdendus restat tibi, uulnere Python,
Quæ latè aspergit bestia uirus hians:
Huius finitimas gentes contagia lædunt,
Finitimarum alijs pestis acerba nocet;
Insubrium fines ut iam tetigisse queratur,
Atque suam timeat Roma superba uicem.
Si miseræ properes genti succurrere, telis
Ac celer extinguas horrida monstra tuis,
Et pedibus plaudet choreas mox inclyta proles,
Et noua cantabit Pythia Phœbe tibi:
Illic arma tua, & ludi, saltusq;, palestra,
Discus erit, iaculum, cursus Olympiacus.

Ad Alexandrum Leonardum Patauinum, poëtam egregium, de duobus Alexandris.

VT uictorem Asiæ Bellonæ fulmen Eoos
Pugnando Reges edomuisse ferunt,
Iudice sic Phœbo cuncti Leonarde fatentur,
Cantando Hetruscos te superasse choros.

Incerti

Incerti auctoris Echo.

QVæ celebrat thermas Echo & stagna alta Neronis
Deludit uoces concaua sæpe meas.
Sæpe hic Narcissum expecto, simul illa moratur:
Si queror, hæc queritur; si gemo, & illa gemit.
Quis'nam clamor? Amor. Quis'nam furor? Vror. An Echo?
Quæ grauior pœna in amore? Moræ.
Expectas Narcissum? Issum. Quæ causa morandi?
Orandi. Ille mea hæc dicta notabit? Abit.
Adfuerat? Fuerat. Nũ istic? Hic. Quem fugit iste?
Iste. Etenim me? Me. Quod malũ amare? Mare.
Num ueniet? Veniet. Spes? Aes. Nũ uincitur auro?
Auro. Victor ero prodigus æris? Eris.

Ad illust. & magnif. D. D. Bonifacium Solerium, Sabaudiæ domini ad Venetos oratorem, quare literatura hodie despiciatur.

COnuenere simul quondam, regemq; uolucres
Pictum Pauonem præposuere sibi.
Qui dum defessus requiescit in arbore noctu,
Huic caudam Vulpes insidiosa rapit.
Suppudet, atque gregi uolucrum rex luce sequenti
Mittit qui dicat, membra dolere sibi:
Suadere intereà, caudas ut pondus inane
Abijciant, sese ponere uelle suam.

Ex illo uolucres caudam tempſere, placerent
Vt regi, quicum deteriora probant.

Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt,

CV'm Bulla Romam & Mutius contenderent,
Hicq́; impijs timeret à latronibus,
Seruandum uti ſibi æs det omne Mutius
Armato inermis, Bulla perſuaſit comes:
Qui deinde ſummam creditam abiurat ſibi.
Sic, quos cauet, ſæpe incidit in hos uir bonus.

Poematon ſecundi libri finis.

P. FRAN=

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS POEMATON

Liber tertius.

Ad illust. & reuer. D. F. Abundium Castilionum, Bobiensem Episcopum.



Gregius iuuenis Fagnanus nocte silenti
Duxit ad Adriacos me tuus ille choros:
Isq; suæ Veneris ferret dum laudibus ora,
Dixerunt Orpheûs & tua fata Linus.
Vt Linus hæc tenui musam meditatus auena
Agrestem dixit carmina docta tibi:
Francisce, humanis contingens sidera plantis,
En tibi cœlestes, & maris unda fauet.
Extemplo assurgens insanos Adria fluctus
Moti composuit, te ueniente, maris.
Vt cecinit Phœbus, cœlo pluet amnis ab alto
Aureus in tectum rubraq; lana tuum.
Crinitus citharam tangens hunc Thracius Orpheûs
Ingenio uicit, uersibus atque suis.
Mille tibi Doris seruat conchilia ponto,
Mille tibi in sylua pascit Ianthis oues;

Vt, cùm olim proceresq; inter gentemq; togatam
Te gremio accipiet Martia Roma suo,
Altera Nympharum tibi uellera tondeat uni,
Altera Sidonio murice tingat oues.

Ad Aloysium Martinengum, Brixianum, magni illius Baptistæ cataphractorum Equitum ductoris filium.

Martigena, Ausoniæ gentis fortißime, quantũ
Et Pylos, & Thebe non genuere uirum,
Qui tua facta uelit chartis intexere, oportet
Cantu Mæoniden æquiparare bonum.
Valde ego id optarim: mea sed quòd carmina laudes
Deficient humiles, sit uoluisse satis.
Militiæ raras te quis tenet aptius artes?
Quis melius nouit castra mouere loco?
Si sit opus ducto sedes includere uallo,
Ex humo ubi dulces eliciantur aquæ,
Seu castris fossam deducere, ut arduus hosti
Sit uenienti aditus, sit facilisq; tibi,
Aequas ingeniumq; & Pœni mentis acumen,
Qui propè Romanum perdidit imperium.
At fera cùm ueniunt sæui certamina belli,
Educitq; acies gens inimica suas,
Ac parat aduersis miles concurrere signis,
Non deest & uirtus, ingeniumq; tibi;
Seu sit opus Fabij studio, siue arte Camilli,
Virtute exuperas fortis utrunque Ducem.

Spicula non alius uibrat te rectius uno,
Obuia qui pilo frangere cuncta soles:
Non ulli in clypeum assurgunt ex tempore tanti,
Nec torquent tanto turbine tela uiri.
Nullius in pugna uenit amplior impetus hastæ,
Nullius est tantum roboris, ac animi.
Ecquis, ut ipse, ualet celerem torquere sagittam,
Signatum'ue cita tangere glande locum.
Glande, nouum ex ære inuentum quam fistula mittit?
Quo caruere olim secula prisca malo.
Quis, clypeo seu læua manus, seu dextra tuetur,
Siue hac, siue illac hostica sicca uenit,
Arctis est celeres & equos compescere habenis,
Et laxare illas doctus, ut ipse, manu?
Siue putes curuo satius contendere gyro,
Hostibus & duris imposuisse iuuet,
Magnanimum superas & uiribus Hectora, & ipsum
Corporis Alciden mobilitate tui:
Qualem oculis uidit, Gallis metuentibus, ipsa
Thuscia te bello conseruisse manum,
Cùm fera luxerunt totis incendia uillis,
Et sæuæ occubuit plurima turba neci.
Ac mea per dubias ne errare hæc carmina laudes
Quis putet, est testis Gallica turba mihi,
Insubria est testis, cuius regem ipse recordor
Te turmis Equitum preposuisse suûm,
Tempore, quo sæuo Petrus mucrone peremptus
Pauli Pontificis filius ipse fuit:
Est mihi prætereà grauis & Phæacia testis,

Insula quæ, peditum te Duce, tuta fuit:
Est ingens etiam mihi testis Hetruria, uicti
Fato ubi tot ciues interiere pari,
Arces cùm peterent Senarum fulmina Martis,
Frater Pontificis qui fuit hercle Pij:
Vrbs Regi est testis, quam rexisti inclytus Heros,
Gallorum forti prætereunte manu,
Vrbs sibi cùm timuit lugubris Martia, cumq;
Victore Hispano est Hostia capta Duce.
Nec tamen his contentus eris: pater ipse Deorum
Ad maiora quidem te uocat almus adhuc:
Id mihi compertum ueris, certare Melampus
Queis nequeat signis ipse Amithaonius:
Nocte audita polo passim strepentia toto
Arma diu memorant hostibus, atque tubas,
Præcinuisse fugam syluas belli, atque cometen
Crinitum trepidis signa fuisse Getis,
Vidisse hyberno hos defectum lumine Solem,
Fudisse & lacrimas uos simulacra Deûm,
Præmonuisse boues uocales fata feruntur,
Plurimus in terras atque pluisse lapis.
Incipe, iam magnos iterum aggrediaris honores,
Aspirant uatis numina magna tuis:
Te uocat ad maiora excitum diues ab Arno
Adria, militiæ præficiendo suæ.
Incipe non ipsum remorabitur hostica tellus,
Quam dura Alecto tristis ad arma uocat.
Te manet infenso Gotthorum habitata colono,
Quæ Veneto se armis offeret ora suis:

Vt uictrice tibi cingantur tempora lauro,
Te uehat & niueis currus eburnus equis;
Vtq; triumphantem praeat, milesq; sequatur,
Et canat incerto carmina facta pede:
Fortis ut ingrediens exercitus ipse per urbem
Omnis io ingenti uoce triumphe canat:
Vt tibi pura canam uictori ego sacra quotannis,
Vt cadat ante meos buccula caesa focos:
Vt te pierio tollat Faletus honore,
Faletus Musae deditus atque lyrae.
Non hunc carminibus uincet Tyrrhena iuuentus,
Non Tusci uates, Insubriumq; chori:
Hic magnos Reges, hic Heroasq;, Ducesq;,
Hic bella, & paces, hic tua facta canet.

Ad illust. & reuer. D. D. Hippolytum Capilupum, Fanensem Episcopum, & Pij IIII, Pontif. Max. ad Venetos legatum, διαλόγισμος.

Hippolyte ô uatum decus, interpresq; Deorũ,
Aedibus in sacris Libyae quid corniger Am-(mon?
Pieris, in Picae mendax mutata figuram,
In Libyam cecinit uenisse Typhoëa dirum,
Mutatoq; Iouem se celasse ore timentem,
Inter ouesq; ducem uisum gregis omnibus esse.
Ast ego uera canam magno de rege Deorum,
Dixit Alexandro quae regi casta sacerdos,
Fortè suo posuit cùm urbem de nomine dictam.

Implorauit opem ſitiens nam Patris Iacchus,
Indos cùm peteret nigros. arieſq; decorus
Cernitur ingrediens à Baccho: illumq; ſecutus
Aduenit Liber muſcoſos, hoc duce, fontes.
Ex illo Patri templum fundauit & Ammon.
Cornigerum paſtor diuum hunc Ammona uocauit.

Ad Ioannem Tonſum, I. C. Poëtam egregium.

GRæcia Callimachos miretur, Hetruſcaq; tellus
Petrarchas, Flaccos altaq; Roma ſuos:
Nos, quem ſecla legent unum uentura nepotes,
Miramur numeros, candide Tonſe, tuos;
Ipſe manu quod eis parca donauit Agyieũs
Omnibus, id totum nam tibi Muſa dedit.

Ad Ioannis Baptiſtæ Porri, Aplanenſis, extincti filios.

AVreli, Luci, Octaui, & tu Maximiane,
Matris lugete & triſtia fata patris.
Quos iunxiſſet Amor, nec mors diſtraxit amantes:
Mox ægram hic ſequitur, dum præit illa uirum.

De Iacobo Balamio, Romano.

ROma triumphabat, Venerẽ cantante Tibullo,
Atque ijdem fines orbis & urbis erant:
At

At nunc, Balamio Latiam meditante camœnam,
Proferet imperium sidera ad alta suum.

Ad Franciscum Martigenam Comitem illust.

QVid tu France togæ, præfertq; Aloysius arma?
Mars illi genitor, Mars genitorq; mihi.

De bello, incerti auctoris.

HOc sene quis ualuit melius successor anhelo
Pontificum auctoris fortia facta sequi?
Non pacem, at bellum terris ille ipse creauit,
Pacatam Italiam Quartus ad arma uocat.

Ad Andream Huraltum, Regij ad Venetos oratoris fratrem.

TV solùm es fortis; caput Hur at demere uoci
Si uelis extremæ, fortis & altus eris.

Ad Iordanum Ziletum, Brixianum, bibliopolam, suum.

VIr tua nos inter pietas micat optime, cœli
Inter uti sidus lucida signa tuum.

Ad

Ad Diomedem Vrsonum, Brixianum.

QVid potuit fingi Diomede humanius ipso?
Olim quem nobis Vrsus & Vrsa dedit.

Ad Carolum Vicecomitem, Episcopum Intemeliensem.

QVod tibi præcinui, fatale est Anguiger ostrũ.
Ergo mei in regno sis memor ipse tuo.

Andreæ Gritij Venetorum Ducis ad Alexandrum Businellum apophthegma.

NOn es Alexander, sed Businellus, amice.

Primi Comitis apophthegma.

ROganti Primum Romæ ut sit, uir bonus inquit,
Non curtè esse uolo, sed bene sanus ego.

De Curia.

QVi cupit esse pius, longè discedat ab aula:
Ambitio atque illic est genus omne uici.

Ad Primum Comitem.

LVdebant pueri, nobis uenientibus. Ecquot?
Tres. Qui oro? Præsules graues.

Michaëlis Carcanij, Franciscani apophthegma.

NVlla fides pietasq; uiris, qui sacra sequuntur.

De Bartholomæi Colleonis Bergomensis statua,
dialogus: F. Spinula, P. Comes.

ECce æneus stat dux in urbe fortis hac
Ille domitor tyrannidis.
Laudandus est, si uicerit mentis suæ
Cupidinis tyrannidem.

Ad Io. Baptistam Fagnanum Donati fil. in D.
Helenæ templo, Venetijs.

ID quod Alexander dedit his Fagnane, dolendum
Est patrum Monachis eripuisse patrem.

Ad Io. Baptistam Bennatum.

QVàm bene sis natus, mihi docta est pagina testis,
Quæ facit, ut nequeam non memor esse tui.

Ad Hieronymum Faletum, I. C. & Equitem, &
Comitem clarißimum, Ferrariæ ducis
ad Venetos legatum.

Quàm

QVàm Comes Alphonsi minuit præconia laudũ,
Auges tam uersu Cæsaris arma tuo.
Pontanos uincis cantu, æquiparasq; Marones;
Magna tibi quòd dat Cynthius ore loqui.

Amphibologia cuiusdam episcopi ad Spinulam.

ACcipe, quam tibi do uiridẽ, Francisce, coronã,
Quæ te testatur cunctos superasse poetas.

Responsum.

ME superasse canis uates; te uincere dico
Omnẽ Pontificem uirtute: astutus uterq;.

De Aloysio Mocenico, Leonardi Equitis clariß. fil.

VIdisse se Aloysius cùm diceret
Ciuem in carina cum catella & coniuge,
Dixit pater mox, cum duabus belluis.

Ad Aloysium Mocenicum, Leonardi Equitis clariß. fil.

SInt alij quàm tu grauiores, sint magè dites:
Iudicio Venetis omnibus ipse præis.

Ad Andream Palladium, Vicentinum architectum.

PAlladium ut Theucris Tydiden, omnibus unum
Te palmam ingenij surripuisse ferunt.

De Io. Baptista Fagnano Donati fil. ad Io. Marcum eius patruelem.

CVm uate egregius certat Fagnanus Hetrusco,
Carminibus: iudex Adria, & Arnus erit.
Dũ celebrat Thuscus Daphnen Marce optime, culto
Fagnanus Venerem concinit ore suam.

De mutua exterorum hominum amicitia, ad Vincentium Maurocenum, Bernardi fil.

ILle ego te Insubris Venetum sic diligo amice,
Vt niger à uiridi turtur amatur aue:
Non tam idem nidus, quàm uirtus inclyta & ijdem
Quàm mores, animos conciliare solent.

Ad Pompeium Pacium Pisaurensem, uirum ornatißimum.

QVæ sedet, ô Paci, Regina pecunia amicos,
Cum dote uxorem, dat genus, atque fidẽ,
En diuina suis parent humanaq; iußis:
En Suadela potens, & Venus astat ei.

Ad P. Franciscum Spinulam Ioannes Nellus Coloniensis.

Aeternos

AEternos quondã peperit tibi laurus honores,
Dum socias fidibus mystica uerba lyræ.
Emicat ecce aliud nunc alite carmen eodem,
Quod studium doctis euigilauit idem.
Dixeris obscurum uerè discrimen, an illis,
Maior an his cedat gloria carminibus.
Crede mihi, crescens tua Spinula docta camœna
Laude noua semper, ne moriare uetat.

Andreas Huraltus, Meßius, Francorum Regis legati ad Venetos frater Germanus, ad P. Franciscum Spinulam Mediolanensem.

SEu te fatidici Dauidis pagina uatis
Detinet, & nostrum diuino numine pulsus
Vertis in eloquium summo cantata tonanti
Carmina: siue canis Reges, & fortia Regum
Pectora Francorum, aut chartis infixus anhelas,
Acquiris, Francisce, tibi per secula nomen
Aeterna æternum: uiuent tua carmina: & istud
Non dij, non homines, non tempora longa negabunt.
Fortè roges, placeant'ne mihi quæ scribis, & edis:
At mihi iudicium tenue est, & mî pudor obstat,
Ne hæc interponam tantis mea somnia rebus.
Id faciam tamen: & si nil te detinet, audi.
Quod facis, id fecit Moses, fecere prophetæ,
Id fecit Dauid, cuius tu uerba secutus,
Mellifluo dulces hos ore effundis Iambos.

Cùm Deus ex alto sacram transmittere legem,
Inq; sui uellet populi sudare salutem:
Non his ille palàm est, quod fecerat antè, locutus
Horum duritiem agnoscens, incompostaq; corda:
Sed sanctos sancta demisit ab arce ministros,
Qui populum leges Domini & præcepta tenere, &
Quæ fieri uellet, quæ non facienda, docerent.
Sic quod in arcano docuitq; uolumine Moses
Et cecinit Dauid, quod tot scripsere prophetæ,
Cantatũ à domino, dictum, scriptumq; putandũ est.
Dicis fortaßis: sed tot tua uerba, quid ad rem?
Cùm longè & multùm distent hæc tempora ab illis.
Sentiat haud quisquã talẽ te effundere uersum, &
Tam bene diuini uertisse poëmata uatis,
Quin certo affirmet raptum te numine sacro
Tam longum & tam difficilem superasse laborem:
Infusumq; in te genium Dauidis, ut huius
Interpres melior fieres, seu soluere nexus
Hebrææ linguæ, seu condere carmina uelles.
Vtq; olim hoc primo Dauid sermone locutus,
Facta Dei, meritosq; lyra celebrauit honores:
Sic homines ex te dominum cantare latinè
Incipient, laudesq; suas, nomenq; uerendum
Aptabunt citharæ nostræ fidibusq; Latinis.
Hoc quodcunq; tuũ est igitur, Francisce Deorũ est:
Et quoniam domini sunt scripta perennia nostri,
Et uerbum durare suum per secla necesse est,
Sic tua nec tempus, nec diruet ulla uetustas,
Teq; opus hoc celebrem faciet, uerumq; poëtam.

Sed

Sed satis hæc fuerint: & ne tua tempora longo
Hoc sermone morer, uerbum non amplius addam.
Antiqua Pataui quòd nunc inclusus in urbe
Cantas & scribis, tibi quæ bene dictat Apollo:
Inuictos Reges Francorum, & fortia facta
Henrici, grandemq; animum, stirpemq; beatam,
Victurosq; canis per secula longa nepotes,
Qui te detineant in commoda publica peccent.
Nos urbe in Veneta (Veneri locus est sacer iste)
Inter tot lusus iuuenum, Venerisq; paratæ
Nequitias, animum studijs & rebus honestis,
Vt locus & tempus patitur, formamus: in istud
Intenti & uigiles: ut discamus, didicit quod
Qui mores uarios populorum, & uiderat urbes.
Grande datũ est homini à Superis prudentia nu-
Quod longo tantum nobis acquiritur usu. (men,
Sanus ad extremum, lætus, uiuasq; beatus:
Sic tibi dent, quodcunq; optem, pia numina: nempe ut
Dis det opes, uitam & facilem & nullius egentem:
Cùm tibi nil Pallas, nil addere posśit Apollo.

CIↃ IↃ LXI. CAL. DEC.


P. Franciſci Spinulæ

MEDIOLANENSIS CARMINVM

Libri quatuor,

QVIBVS Q. HORATII FLACCI & ordinem & uarietatem penitus imitatur.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS, Ex *officina ſtellæ* Iordani Zileti.
M D LXIII.

Hieronymi Bornati, ciuis Brixiani, in quatuor Spinulæ carminum libros, diſtichon.

Tam bene qui Lyricas unus meditare camœnas,
Dat tibi nempe ſuam Flaccus habere lyram.

ILLVSTRI AC MAGNIFICO D. D. STANISLAO Comiti Tarnouio, Stanislai Palatini Sendomiriensis fil. Cressoniensi præfecto, &c. S. D.

P. Franciscus Spinula Mediolanensis.



Vpio uehementer, & iam pridem cupio, nonnullam meæ erga te uoluntatis significationem ita dare, ut quanti te faciam, semperq́ꝫ fecerim, penitus cognoscas, planeq́ꝫ perspicias. Te enim adolescentulum, ex tam generosa & nobili stirpe profectum, Patauii consuetudine quotidiana non minus Musas amare, quàm & patrem tuum uirum fortissimum, & patruum totius Pollonæ gentis copiarum Imperatorem armis delecta-

tos fuiſſe intellexi. Ex quo fiet profectò, ut quemadmodum illi multas ex Turcis, & Getis, & Moſcouitis uictorias reportarunt, ita ipſe ex iſtiuſmodi ſtudiis, ex Sigoniiq; eloquentiſsimi doctrina breui tempore ſis clarus & nobilis futurus. Eapropter ad hoc mentem meam tui deſiderium adeò inflammauit, ut prius carminum meorum libros quatuor ediderim, quàm & Caroli Vicecomitis conſilium, & aliorum ſapientum auctoritas permittat. Accedunt eòdem etiam latentes improborum hominum inſidiæ, & incredibilis quædam meorum uoluminum calamitas. Equidem cùm Mediolano ad Cenomanos emigrarem, non quæ inſtitueram opera mecum omnia compor-


taui, ſed ea ſolum'modo, quæ mihi
erant chariora. Quæ illic reliqui,
ſurrepta fuerunt uniuerſa. Nam
hodie non auro tantùm & ueſtibus
hominum prauitàs, ſed etiam alio-
rum gloriæ inſidiatur. Etenim quot
opera uidemus in lucem edita, fu-
rum non auctorum nomine inſcri-
pta? Quot præterea libros, ſcri-
ptoribus extinctis, igne ab inuidia
conſumptos fuiſſe arbitramur? Id
quod ne in noſtrum Horatii ſimula
crum, tuo nomini clariſſimo dica-
tum, ut ſunt humana, àliquando
eueniret, Iordano dedi imprimen-
dum. Si enim antè è uita exceſſiſ-
ſem, quàm opuſculum edidiſſem,
non poterat non perire. In his ſane
quidem ſum locis ſolus. Damon
meus fidelis à me abeſt longiſſimè.

Exterarum gentium, & uulgarium amicorum nosti fidem. Ab his igitur ego ualde timens, eam Flacci præscriptionem, qua ante nonum prohibet annum edi opera, non potui, ut in animo erat, tenere. In optatis erat etiam, amatorias quasdam odas, ut primi libri IIII, VIII, & XI, immutare: sed minimè licuit per meas occupationes, & Iordani negotiosi festinationem. In iis enim iuuentuti, ut etiam in Elegis compluribus, uidetur insaniæ & uoluptatis esse documentum. Sed mihi hoc in genere casti obsecro lectores ignoscant. Nam præterquàm quòd adolescentiæ item amanti alicubi uolui morem gerere, ita fui imitationis studiosus, ut cùm genus aliquod carmi-

nis tali ſolùm argumento uel maximè uideretur conuenire, & me Deliam quandam amare finxerim, & ad corporis uoluptatem ioco alios adhortatus fuerim. Itaque in bonam partem & hæc huiuſmodi, & alia quæ leges in carminibus noſtris pro tua humanitate accipies. &, ſi utique eos ſolum'modo, qui, ſicut Primus Comes, ex animo colunt religionem, temperantiam, pietatem, & iuſtitiam amas, in horum ipſorum quoque numero Spinulam tuum repones. Vale. Venetiis, Idibus Nouembris,

CIↃ IↃ LXII.

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS CARMINVM LIBER PRIMVS.



AD AVRELIVM PORTVLACAM, *ciuem Brixianum, Io. Baptistæ fil. egregium Pij IIII Pontif. Max. Cubicularium,* Ode I.



VRELI, *Tyberis quem tenet exterus,*
Et quem Melo uocat patrius, augeat
Immensas alius diuitias sibi;
Et saltus & agros & iuga duplicans,
Ad Circæa solum mœnia fertile
Producat, pecoris lætaq; pascua:
Cui somnos & edax cura fuget, suas
Et coniux lacrimet flebilis ob uias,
Si quando sit opus tendere longius.
Curis à grauibus me tenuem urbium

Vitæ ſollicitæ dulcia ad ocia
Muſæ pauperies hæc mea transferat,
Dum dent quod ſatis eſt numina, dum mihi
Paruus luceat igne exiguo focus.
In uotis mihi non magnus agri eſt modus,
Tectum, atque hortus, ubi fons uitreis aquis
Tecto proximus iſti, & ſuper his foret
Non multum ſyluæ, qualis Horatii
Tonſo eſt egregio carminis aliti.
Nummatus bene mi filius unicus
Fortunæ hæc repetit ſæpe Leontius;
Iam Franciſce *uelim, quæ cupis, omnia,*
Quæ dixti, eſſe tibi: quò ualeas ſine
His curis uacuus dicere quæ acria
Vidiſti & iuuenum & prælia uirginum,
Faunos, & Dryadas, & Venerem *tuam:*
Nec quæ ſuppeditent, is mihi dat tamen.
Quare cura mei paruula ſit tibi,
Et ſit quantalibet; non mihi Lydium
Sit regnum potius, ſi tibi ſit modò,
Non magni potior fama Pij *patris:*
Cui tandem Hugo *uir & doctus & eloquens*
Commendare cupit te ſtudium meum.
Obſecro ut facias quod petit & rogat
Ille; ut te memorent Pegaſides *meæ.*
Nam qui non peragit nunc labor ocia
Vnquam languida, me ſors licet improba
Aegrum uerſet, uti gens mea conſpicit,
Si illi proſpicies, carmina Delius

Hæc præscribet, honos queis maneat tuus,
Et laudes. patriis non ego & exteris
Cedam uatibus, atque ingrediar nemus
Sacrum Mæonidæ quo pede conuenit:
Et sub iuniperi tegmine non grauis
Inter Pieridas gesta canam tua,
Et Vincenti Equitis facta tui inclyta,
Laudes atque bonorum egregias uirûm,
Seu circumuolitet cæca nigerrimis
Nox umbris, liquida seu radians aqua
Præclarum Oceani Sol caput efferat.

Ad Aloysium Mocenicum, Venetum, Leonardi
Equitis clariß. fil. Ode II.

DVlcis Arquatum Mocenice ueni,
Vidi in optatis monumenta terris,
Consitas lauros manibus Petrarchæ,
Vatis Hetrusci:
Mortuam plures ubi fleuit annos
Lauream: uidi thalamum, atque sedi
In loco, doctos ubi consueuit
Pangere uersus.
Et peragraui uirides agellos
Ipsius collesq́;, bibi, poeta
Quam manu seuit facili ipse, uitis
Dulcia uina.
Hicq́; dum curis uagor expeditus,
Plenus & Baccho rapior per hortum,

Quæq; Francisci fuerant diserti,
Iugera parua,
Delium ad Daphnen comitante Musa,
Conspicor turba & Dryadum uenire; &
Audio amplexum hanc lacrimis obortis
Ista referre;
Arbor ô dulcis mea, quando coniux
Esse per Diuûm mihi dura fata
Non uales nostra & coma te & pharetræ
Semper habebunt:
Te prius nam Sol ego, deinde Thuscus
Ille dilexit, citharam, modosq;
Cui dedi nostros, tua queis ualeret
Dicere membra,
Membra, quæ cinxit mihi libro & illi
Fluminis numen tenui, figuram
Oris & grata iuuenile corpus
Arbore mutans.
Qui simul Pæan, lacrimante cœtu,
Finiit, ramos iubet uniuersas
Vellere, & pulchro capiti coronam
Texere Nymphas:
Iussa dum cunctæ subitò facessunt,
Ac sibi texunt opus, & uirentes
Cynthius frondes mihi dat benignus,
Quas tibi dono.
Inde contendunt simul ad sepulcrum
Vatis, & nomen celebrant, & eius
Concinunt laudes, tumuli & columnas

Frondibus

Frondibus ornant.
Proximum ad fontem sitiens suauem
Interim solus uenio, bibensq;
Mox tuam formam cecini, parentis
Atque trophœa.

Ad Iacobum Doctum, nobiliss. ciuem Patauinum, Bernardini fil. Ode III.

SIc te Diua potens ea,
Quæ in terris animos conciliat bonos,
Mecum, urbis Pataui decus,
Coniunxit, nequeam ut te sine uiuere:
Nil te antiquius est mihi.
Nam siue inuigilem, seu sopor occupet
Hos artus, uideor loqui
Tecum, uel legere aut carmina pangere.
Istic quid miserabiles
In syluis sine me uersiculos canis?
Quid dulcem Glyceram sine
Me dicis uacuus, siue quid ureris
Non præter solitum leuis?
Verùm sint utinam uera, quæ heri nigra
Nocte insomnia ad Adriæ
Actam fortè maris uidimus hercule:
Aeuo à Nestoreo statim
Te uersum in uolucrem uidimus ad mare
Salsum hoc dicere carmina,
Ferri hinc continuò, pura uolareq;

Cœli ad ſidera: quà tui
Antoni radiat Caßiope inclyti;
Cùm Daulus ſapiens, genus
Et fratris ſimul, & patria ciuitas
Immutatum in auem ſibi
Albam ſuſpicerent non ſine lacrimis.

Ad Hieronymum Luciagum, nobiliß. ciuem Brixianum, Ode IIII.

OMnia nunc rident, ſyluæ & nemus omne nunc uireſcit.
Educit antris Gratias Cupido.
Delia noſtra canit myrto caput impeditq́;, Nymphis
Choroſq́; ducit iuncta cum decoris;
Et quatit alterno terram pede. Tytirus capellas
Oueſq́; paſcit. mulcet en uolucris
Aethera concentu uario. legit & ſuo corollas
Formoſa Nais floreas amanti.
Nunc Venerem iungunt animalia; nunc calet iuuentus,
Tepent & illa uirgines adultæ;
Cynthia dum temnit iuſſum patris impotens puella,
Matriſq́; leges negligit ſeueras.
Nunc leuis eſt tractanda Venus tibi; dia nunc uoluptas
Sequenda prudens omnibus ſodalis.
Hæc ſunt mittenda: in ſophia rogo deſinamus æuum
Conſumere, his in quæſtionibuſq́;.
Aetas, dum loquimur, fugiet breuis; atq; dormienda
Aeterna erit nox; nec licebit iſtam
Mirari extincto Venerem tibi, quæ quidem Dione
Eſt

Est sola Nymphis pulchrior marinis.

Ad D. Mariam, Britanniæ reginam, Ode V.

DVm legati iterant æquora sæpius
Vltro citroq; de connubiis tuis,
Menses turbida multos
Scindit seditio polum:
Nostrum omnino Venus pulchra Ducem, alterum
Vult Saturnia Iuno esse uirum tibi:
Illi Delius, & Mars,
Huic astant Superi pares;
Vt binæ totidem Diuæ habeant Deos
Fautores. quid agat Iuppiter optimus?
Nam uexatus utrinque,
Causam ut iudicet, hæsitat;
Dum mœstæ Veneris filius interim
Cœlum territat arcu & iaculis furens:
Matri numina plura
Fauerunt pueri metu.
Mox arrisit ei Iuppiter, & tori
Consortem subitò mittit, & obsecrat,
Ne tristetur; & inquit,
Palma ipsi Cypriæ datur.

Ad Carolum Vicecomitem, Cæsaris fil. Mediolanensium ad Pium IIII Pontif. Max. legatum; qui deinde Episcopus Intemeliensis creatus fuit, Ode VI.

O' Lux Insubrium, floscule totius
Nostræ gentis, amans Pegasidum choros,
Discedis sine me? me sine mœnia
Vises alta Quiritium?
Quid dextram arripiens heu mihi flebili,
Vrbem iam redeas obsecro amicule;
Vrbem iam redeas obsecro, dulceq;
Iussus persequere ocium.
Dulce est nil sine te, nil sine te mihi
Est iucundum, abituro hercule torridam
Tecum uel Libyam, uel gelidos Scythas,
Seu tectum niue Caucasum.
At uos ô Superi hunc Mercurium precor
Conseruate bonis Insubribus: procul
Sit nix & pluuiæ, flamina & Africi
Cum sæuis Aquilonibus.
Tuq; ô nobilis urbs inclyta Romuli
Atque ostro fruere, & diuitijs tuis;
Nostris ciuibus & ne hoc columen, decus,
Lucem, & præsidium inuide.
Nam qualis radiat Luna poli minor
Stellas inter, uti scit Padus, Albula,
Belgæ, Gallus, Iberq;, Anguiger optimos
Hic inter nitet Insubres.

Ad

Ad Faustinum Barbonum Soncinensem, de Iunipera sua, Ode VII.

LAudabunt alias alij, uultumq; Diones,
Castæ Penelopesq; pudorem,
Panthesileam armis insignem, Zenobiasq;
Imperio, & te carmine Polla.
Sunt qui Cassandræ celebrant & membra uenustæ,
Atque Europes lumina clara:
Me non Hippolytæ uirtus, aut forma Lacænæ
Nec tam Sappho, Eudoxiaq; ipsa,
Nec Proba perculsit, nitidæ quàm gratia frontis,
Simplicitas, prudentia, uirtus,
Et mirum ingenium Faustini dulcis amicæ
Iuniperæ grauis, atque pudicæ.
Arbor ut unde trahit diuinum hæc nomen, & imbres
Atque niues, & frigora temnens,
Frondibus & uiridi semper circundata ramo est,
Sic felix mulier Barbone
Ista uices didicit fortunæ spernere cunctas,
Non faciem mutare serenam:
Fœmina perpetuos uultus hæc possidet una,
Virtutem nunquam exuit una,
Vna suum retinet decus, atque insignia laudis,
Vna est nulli obnoxia pesti.
Arboris istius recubans sub tegmine dulci,
Non moritura poemata condis.
Iuniperi grauis umbra quidem, at sola utilis umbra
Iuniperæ tuæ, & umbra salubris.

Ad Deliam, Ode VIII.

DElia, dic per almam
Cypriam quæso properas perdere cur amantem?
Cur patere in tenebris
Ianitoremq; ante fores dura nigris sedere?
Ne, Venus ô decora,
Desinamus iungere, dum facta sinunt, amores.
Effera mors tenebris
Iam caput cæcis ueniet nocteq; operta, utrunque
Talia cùm pudebit
Hæc sequi, cano capiti & blandicias referre.
Nunc leuis est amanda,
Nunc Venus tractanda. sed heu dispereo puella.
Tu nisi me gementem
Audias, Euri rabies quem ferit, & procella,
Tempus erit, cadenti
Cùm uoles frustra dare, quā dura negas, salutem.

Ad Aloysium Mocenicum, Leonardi Equitis clariss. fil. Ode IX.

VIdes, ut orbi lux breuis occidat,
Vt, quos iuuentæ carmina deserunt,
Subrepat ætas curua cunctis,
Et senium mala quæ sequuntur:
Vides, ut omnis gloria, dignitas,
Honosq; formæ dispereat, Ioue

Contingat

Contingat ut nigra probante
Mercurius caput omne uirga.
Quare Aloysi flos Venetæ & decus
Et lumen urbis, quod minus excidat
Clarißimum in terris ab æuo
Ingenio tibi quære nomen.
Nam sola uirtus, ingenij & decus
Stat absque leto, conditioneq;
Vacat suprema mortis atræ:
Verùm alia hîc metit omnia Orcus.
Ad gloriosam te uocat Adria
Palmam beatus, Nereides uocant;
Tot unde uates euolarunt
Sidera ad alta poli sereni.
Nunc ergo, sapiens ut te Aloysius
Propinquus ingens sæpe monet, bona
Mortalia hæc sunt uniuersa
Despicienda tibi, ut caduca,
Et comparandum nunc tibi nomen est,
Quod sera cantet posteritas, uirûm
Perdocta quod poßit uenire
Maius ab exequijs in ora.

De Carolo Vicecomite, Mediolanensium legato, à Britannia Germaniaq; reueniente, Ode X.

ANguiger dulcis mihi, uita donec
Ista mortalis fuerit superstes,
Ad Lares tandem rediit Britannis

Sospes ab oris.
Parcite ô uerbis malè ominatis
Fœminæ, grates & habete Diuis:
O' Ioui laudes pueri supremo
Dicite casti.
Integræ undarum genitorem, & Austros
Virgines dicant. hilaris Camœna
Nostra cantato pede facta Sorti
Carmina certo,
Audijt quæ te facilis precantem,
Cùm uias lucem populi uideres
Ire tam longas, gemeres timensq;
Omnia eunti.
I puer, flores petito, & coronas
Funde & unguentum citus, & merum hauri.
Nos cado læti, comites, Sabino
Vina liquemus.
Hic dies festus redeat quotannis;
(Agna mactetur pecus & iuuenci)
Qui mihi mentis nebulam, atque curas
Eximet atras.

Ad Deliam, Ode XI.

EHeu Delia, quid me miserum dura sinis mori?
Quid non exanimis te miseret, Delia, Publij?
En flentem feriunt in tenebris me pluuiæ nigris,
En perterrefacit mortis imago (aspice) plurima.
Promissa hæccine sunt, atque mihi pacta rogo fides?

Tu flenti quoties, Ne lacrimis ora riges tua,
Dixti? nam faciam (crede mihi) quæ cupis omnia.
Ventos ferre sinis, perfida, sed dicta tua omnia.

Ad Hippolytam Gonzagam, Ferrandi principis nostri fil. Ode XII.

DVm tuam formam canimus benigna
Atque uirtutes Dea, tu uicißim
Et meam Musam celebras, & oden
Tollis ad astra.
Si foret talis mea Musa, qualem
Prædicas, ut tu Veneres decore,
Sic tuus uatem superaret omnem
Spinula cantu.
Iam diu Musas aliò uocati,
Cynthium & patrem fugimus, lyramq́;:
Non mihi per te licuit, Cupido,
Tangere metam.
Hic Deus si quos alijs præire
Concito cursu uidet, arte ducit
De uia, quò dehinc iuuenilis ætas
Non redit unquam.
Deliæ quondam tenuere ocelli,
Nunc tenent uatem sacra pura Diuûm,
Quò minus Pindi ualeam sacratos
Visere colles.
Attamen præsens Venus ô decora,
Quæ tuo nostrum radiante uultu

Carmen illuſtras, tibi noſtra ſoli
Cuncta dicamus.

Ad Vitalianum Viccecomitem, Borromeum, Mediolanenſem Senatorem, Comitem illuſtriß. Ode XIII.

I*Stis & lacrimis, tuæ &*
Tandem fige aliquem triſtitiæ modum;
Nullas quandoquidem ærea
Ditis porta nigri panditur ad preces.
Nam fletus hominum, ut uides,
Orci ſurda bibunt litora pallidi.
Nymphæ ergo tumulum obſecro
Vrgere aßiduis deſine luctibus:
Et ſanctæ Cypriæ audias
Prudens conſilium, ſi tibi conſulis.
Quodnam conſilium Deæ?
Ducas ut citius uel tibi clanculum
Iam conſortem aliquam tori,
Non ditem, at potius nobilem & omnium
Fœcundißimam, ut eſt ea,
Quam uulgus loquitur, cui facilis tua
Dixit congrediens ſoror;
Salue ſponſaq. uterus fertilis eſt ei,
Vt res ipſa tibi indicat.
Eſt & præterea nobilis, inclyto,
Vt ſcis, nata uiro, decens,
Formoſa, & ſapiens, pulchrior omnibus

Matronis, ut ei Venus,
Et Iuno inuideat, uirgoq; Cynthia.

Ad Theodorum Tersagum, Mediolanensem, Hieronymi fil. Ode XIIII.

ERgo, *uir sapiens, quem mihi dixeras*
Nonis, tuus iam Romulea *citus*
Ad nos urbe Philippus,
Et uenit patrios lares?
Desertis Theodore Insubrium focis
Hoc ergo uenies auspice uitreas
Flaui ad Tybridis undas,
Sacram & Pontificis domum?
Ire illuc utinam me sineret simul
Et tecum genitrix saeua Cupidinum.
Vinctum hic Delia uatem
Formosa heu retinet tuum.
Ponas, Bacchus ubi non pater, & Ceres
Feruore esse ualent prae nimio ignei
Solis, nullum ubi gramen,
Flos nullus, pecus, & ferae;
Ponas, sola ubi nix, & glacies, ubi
Non unquam rediens Sol super ingerit
Ortum; dulcis amabo
Solam te, mea Delia.

Ad D. Mariam, Britanniæ reginam, Reginaldi Poli Cardinalis sobrinam, Ode XV.

Solam te cano, lux alma Britanniæ:
Errorum tenebras discutis omnium,
Quos olim rabido ore impia fuderat
Istic illa hominum cohors.
Vt nata ex Dauidis sanguine nobili
Diuum nomen habens Virgo, suæ edidit
Regina hæc patriæ lumen, item decus,
Et uitam, bonaq; omnia.
Ad Patrem redijt tota Britannia,
Persuadente Dea, Iulium & ipsius
Legatum accipiens, morigeram fore
Patri olim dedit huic fidem.
Tam miranda uidens Polus ait, Tibi
Quid maius cupiam patria? quid mihi
Exoptem amplius? en iam redeunt dies
Almi, seculaq; aurea.
Tandem ætas abijt ferrea, qua gemens
Te flentem, & calido sanguine ciuium
Vndantem profugus deserui, petens
Vrbis Romuleæ domos.
Verùm hæc Mæonio carmine digna tu
Constantine canas, tempora Delius
Cui cingit: Lycius non Deus hæc mihi
Dat tam grandia dicere.

De

De infortunio suo, Ode XVI.

IN patriæ ingens arduus est meæ
Præcepsq; collis finibus ad uiam,
Quæ ducit ad Septentriones,
Et gelidos Scythiæ colonos.
Cùm fortè canis nescio quo die,
Fato'ue mannis impositus, Iouem
Canensq; Cynthium, lociq;
Numina magna, die occidente,
Collem in supremum, parua ubi semita,
Me contulissem, mox socius feram
In sepe serpentem sinistra
Vidit, & inquit, Eam necemus.
Ac, dum caballum uertimus horridam ad
Anguem, retrorsum in decidimus caput
Pedesq;, nox quibus repente
Ante oculos stetit alta cæcos.
Comes supinus frangitur, atque equus
Ad saxa ruptis ceruicibus perit:
Me seruat alba ueste Apollo
Supposita capiti benignè.

Ad Nicolaum Sfondratum, Episcopum Cremonensem, Ode XVII.

DIuine Vates, quid numeros amans,
Modosq; uitæ, dedite musicæ
Et arti utrique, agensq; partes,

Quas minus iste Baro probauit,

CHRISTI *ministrum carmina pangere*
Esse indecorum dicis? ei nihil
Cùm dedicato almo parenti
Conueniat magè, quàm poëma?

Quodnam poëma? quale pius Deo
Idumeorum rex cecinit suo,
Quod in Latinum Christiana
Concio cantat ubique uersum:

Quod ebriosi non sonet orgia
Bacchi, Deorum uel patrem adulterum, aut
Fabri cubantem cum marita
Tela Ioui facientis almo;

Verùm creantis cuncta, polos, mare, &
Terras parentis numina maximi,
Dementis Adæ & furta, magno
Atque patris Superûm furore

Vndis aquarum protinus obrutam
Tellurem, & extincta ijs animalia,
Et Abrahamum deserentem
Atque patrem & patrios penates,

Eiusq; prolem, magnanimo auspice
Mose, ad recepta prædia numine
Ac patris adductam, atque cæsas
Continuò scelerum phalangas,

Vrbes regentem & Dauida patrias
Suo & canentem uersiculos Deo,
Ac prædicantem regis almi
Interitus; hominum & salutem.

Doctum

Doctum & Petrarcham, Flaminium & bonum,
Magnumq; Bembum prætereà patris
Fuisse maximi ministros,
Atque tuum taceo esse Vidam.
Quid multa? Sanctos Ennius hos uocat,
Queis docta uincit laurea tempora.
Omni ergo det suo ut ministro
Egregium Deus esse uatem.
Verùm de castis maius Episcope
Cremonæ alumnis quid uoueas gregis
Sfondrate sancti, quam tria ista,
Maximum & ingenium, atque mentem
Diuiniorem, maxima denique
Et os sonaturum? omnia uti iuuent
Prosintq; dicta: id quod Maroni
Contigit, & Vario, & Tibullo.
Contingat illud CHRISTE *etiam mihi*
Solummodo unum, te precor: & uiri
Queis gloriantur hìc potentes
Cætera cuncta nihil laboro.

Ad Ioannem Tonsum I. C. Mediolanensem, Baptistæ I. C. fil. Ode XVIII.

VAtes candide, cùm fortè tuus Boßius eloquens
Summi Pontificis concilio diceret in sacro,
Præsens cùm foret ipse armipotens Anguiger, et bonus
Simoneta, grauis Turriger, & Romulidæ inclyti
Miratam urbem hominis dicta, sonos, & sapientiam,

Vultus, eloquium dulce, Pio continuò patri
Sic dixisse ferunt; Magne pater, quid sibi uult nouum
Dicendi genus hoc insolitum, uerbaq; candida,
Et purißima, quæ secula post audio sexdecim?
Nigris Tullius huc an rediit magnus ab inferis?
Est prorsum illius hæc persimilis dictio & actio,
Vni ipsi inuideat quam Tagus atque Ister & Albula.

Ad Gabrielem Phaërnum, Ode XIX.

Vt magnum ad Tyberim tibi,
Et si nomen & hìc sit bone uir, tamen
Cùm primùm Anguiger optimus
Insubres rediit; Boßius & grauis,
Nobis dixit uterque, eam
Virtutem esse tuam, Mæonidæ boni
In sacrum ire nemus tibi
Vt dent Aonides ipseq; Cynthius,
Quò fontes gelidos bibas
Quos antè Ennius & doctus Horatius
Gustarunt, bonus & Maro,
Et Lucretius, & Pollio & Albius:
Qui Cygni ut uitream Albulæ
Cantarunt ad aquam dulcia carmina, in
Cœlum hos pinna leuis tulit,
Albus quà radiat semper hians olor.
Illic tu quoque, nonnihil
Viuo turba licet detrahat inuida,
Ignes inter eos micans
Clarum

Clarum ſidus eris, ſera Quiritium
Cùm poſt interitum omnia
Finget poſteritas maxima uatibus.
Perfectum eſt, tua candidus
Contempto oſſa lapis ne tumulo indicet.
Laudes ſemper enim ingeni
Vates ſemper honos candide erit tui,
Grex dum gramina diliget,
Canas mergus aquas, montis aper iuga,
Dum cœlum aurea lumina
Paſcet, ſalſa petet dum Tyberis freta.

Ad DEVM, ſpiritum ſanctum, Ode XX.

SPiritus rector Superûm, beatos
Sperne cœleſtes, prece te & uocantis
Plurima clemens animæ decoram
Transfer in ædem.
Charitas tecum properet, ſororq;
Veritas dulcis, ſociæ decentes
Et fides, & ſpes, pietasq;, & æquum,
Relligioq;.

In filij DEI reditu ab inferis, Ode XXI.

INtegræ Mariam dicite uirgines,
Et dulcem pueri dicite filium,
Iuſſu Patris acerbam
Qui mortem occubuit DEVS.

Treis luces iacuit qui in tumulo, ut prius
Sane discipulis dixerat optimis
Verus, nostra reuixit
Et nobis hodie salus:
Qui matris lacrimas flentis & anxiæ
Est solatus, & est uisus ab omnibus,
Quos delegerat ipse,
Bis senos homines pios.
Pro nobis Maria ut progeniem suam
Placet, filius & respiciat gregem
Delectum noua & illi
Atque huic dicite carmina.

Ad A. Calemerum Plantinidum, Ode XXII.

DVm Padi lætas segetes, agrosq;
Viserem, turres Fabij sodalis
Cœlitum rector iaculatus ægrum
Terruit orbem,
Hocq; fragore, ut Phaëtontis alto
Flumine hîc cæsi, Lycio parente
Flente, consortem fore me putarem
Dulcis amice.
In casam Fausti celer euolaui,
Ac mihi dixi; Meus ut suauis
Arboris nidus tenuisset, hæc ne
Rura uiderem.
Est adhuc patri, Superisq; cunctis
Hæc nimis tellus odiosa, natus.

Cynthio

Cynthio præceps ubi uulneratus
Occidit amne.
Vota fac ergo, tibi quod recepi,
Si cupis sedes redeamus istas
Hinc, ubi tandem fugiant procellæ,
Fulgura, uenti.

De *amore suo*, Ode XXIII.

IN *me tota ruens ecquid adhuc* Venus
Vis ardere fera hac oro puellula?
A' *me, ut sima capella*
Crudeli fugit à Lupo.
Mi quid durus adhuc uersat in ossibus
Tantum ignem Veneris *filius, & feris*
Heu me quid iaculis ferit,
Sæuas nec remouet faces?
Heu quid me fugis heu? non ego, ut aspera
Tigris, Delia, *te frangere persequor:*
Ergo desine amantem
Formosa hunc fugere ô Venus*:*
Magnus uerùm aliò me reuocat dolor.
Nam Francisca *parens ægra nimis iacet*
In lecto: atra auidas mors
Obsecro abstineas manus.

Ad Io. Baptiſtam Craſſum, Mediolanenſem, Michaelis fil. Ode XXIIII.

QVid mirare? parens optima lacrimans,
Fili, ſic loquitur, te precor hoc Iouem
Per magnum, aurea qui ſigna micantia
Torquet, ne mihi denega:
Iniuſtam meritò quàm minus ipſe amas
Et complecteris: ad me ueniat prius
Nata obſecro ſinas, quàm moriar: lacus
Me Diui in Stygios uocant.
Craſſe, Spinula ſi ſis, quid agas? geram ut
Morem illi oro, meo non animo imperem?
Nam fortes homines hoc ego iudico,
Quos uincit pietas mera.

Ad Hieronymum Montium I. C. Brixianum, Aloyſii Cornelij Cardinalis Bergomi Vicarium electiſs. Ode XXV.

DVlcium Nymphæ faciles aquarum,
Murmurans ad nos aqua Bergomenſis,
Sancta cuſtodes ſyluæq; & huius
Numina agelli,
Qui leues Fauni, Satyri & bicornes
Hoc nemus ſacrum colitis, Diana
Virgoq; , & Naïs, Dryades puellæ, &
Ruſtica Muſa,
Montium, partes agit qui parentis

Iudicans

Iudicans uates bonus, hîc canamus
Pectore haud cuius mihi dulce nomen
Effluet unquam.
Cynthius quid si iuga amœna Pindi
Deserat? quid si tenues auenæ
Pierin dulces Heliconis undas
Linquere cogant?
Quippe cui uatum solet esse nulla
Gratior, quàm quæ lyra patris huius
Concinat laudum monumenta, rectum,
Atque trophœa.
Aura ei spirat, quæ equitantis aures
Ad uiri cantum ferat. audiemur
Vndique à uillis. age iam camœna
Incipe agrestis.
Quæritat tædis homines per urbem
Alter admotis sapiens, Olympus
Quos probet, diua & ratio, nec idem
Inuenit unum,
Qualis est Primus Comes, & poëta
Ipse Ioannes bone, Brixianus
Montius custosq; gregis, sacriq;
Incola montis,
Montis, urbs in quo posita est amica,
Quinque ubi luces fuimus, uocata
Musa quò uenit, Lyciusq; Diuus,
Et soror alma.
Non eos uobis puto sanctiores,
Quos piè quondam coluit uetustas;

Et Numæ cedant tribus, & Catones,
Atque Saturni.
Optimæ at quantum pius ipse matri
Debeo, tantùm tibi sancte Monti;
Mortuo quin nos meliore Diui
Te patre donant.
Et fides ingens, pietasq; in illo;
Par sed est in te pietas, fidesq;,
Plusq; uirtutis, bonitatis, æqui,
Iustitiæq;.
Gratia & te ipsum genuit, potentum
Turbaq; ornauit Superûm; tibiq;
Et Venus nutrix fuit, & magister
Doctus Agyieûs.
Quem patrem cunctis mihi chariorem
Sospitem serua precor ô Deûm rex,
Sospitem si uis tibi me canentem
Carmina & ipsi.

Ad Ioannem Huraltum, Boistallerium, uirum ornatiss. Caroli IX Gallorum regis Christianiss. Consiliarium, & ad Venetos legatum,
Ode XXVI.

HVralte, non tam fortis & inclytus
Rex qui in Senatorum ordine nobilem
Te collocauit ille, acumen
Ingeniumq; tuum probauit,
Non tam uerendus rex Asiæ potens

Miratus

Miratus olim te Solimanus est
Legatum ab Henrico feroci
Belligeranteq́; rege missum,
Non tam senatus te Genuensis &
Vrbs ad polum omnis laudibus extulit,
Cùm reddita his est rege per te
Insula diues opum occupata
Parente magno principe Galliæ,
Non tam togati te Veneti colunt,
Legatum ut ingentem potentis,
Quem cupiò celebrare, regis;
Quàm gesta, uirtutem, eloquium & tuum,
Naturæ & in te munificentiam,
Et miror ipse in uniuersis
Consilium sapiens agendis.
Quapropter unum Thespiades meæ,
Huralte, semper dicere te parant;
Siue Adriam incolas, redire
Seu patrios uelis ad penates.

Ad *Michaëlem* Cecelum, Ceuendum, Baronem *illust.* Ode XXVII.

QVanta in Carybdi Publius ah miser
Laborat, almæ quem Veneris puer
Valde erubescendis adurit
Ignibus, atque domat Cupido.
Me flectit eheu Cypria mollibus
Iussisq́; rursum, & bella mouet diu

Duro mihi intermiſſa, circa &

Luſtra decem in me iterum relinquens

Gnidum atque Cypron tota ruit Venus.

Crudelis iſtas Delia nec preces

Exaudit infelicis: actum eſt.

Tu potes una mihi cauere.

Quis nos triformi Pegaſus heu celer

Sic illigatos expediet rogo?

Quæ Saga Theſſalis, Michaël,

Soluere nos poterit uenenis?

Ad Pium IIII Pontif. Max. Ode XXVIII.

TE maris & terræ dominum, regemq; potentum

Et patrem cano Romanorum,

Seu purus nitida luſtret Sol lampade, ſomno

Seu nox tellurem irrigat almam:

Legibus emendas, armis tutaris: & ornas

Moribus, atque auges pietate

Res Italas cunctis æquiſſimus, ut pater, omnes

Quem nati celebrantq;, coluntq;.

Nam colis humanum genus, & terram, aſpera bella

Componis, damnasq; nocentes,

Innocuos clemens abſoluis: ut omnibus idem

Auſoniis extinctus ameris.

Cui iam maturos uino largimur honores,

Nil oriturum tale fatentes,

Nil ortumq; aliâs. hæc poſt ingentia facta,

Geſtaq; te Superûm DEVS almus

Transferet

Transferet in numerum, cùm respondisse fauorem
Ipse tuis meritis exultans
Gaudia gaudebis cum Paulo *æterna* Petroq;
Atque Pijs *tribus*, Ambrosioq;.

In D. Ambrosii *Mediolan.* Archiepiscopi *die festo,*
Ode XXIX.

CAstus sacerdos Ambrosius, Patris
Fidus minister summi, hodie polum
Inuisit, æternos Olympi
Stelligeri & superauit orbes.
Lætantur illo cœlicolæ, Insubres
Tristantur ægri. Nicolcos uia
Huic lactea ingenti caterua
Se tulit obuius, atque frater,
Magna urbs Quirini quem Satyrum inclyta
Vocauit. axis sub pedibus globos
Mirantur astrorum, supernè
Et solium patris, arma, fulmen.

Ad Gabrielis *patris sui manes, qui* Lomatii V. *Idus*
Ianuarii CIↃ IↃ XXXVIII *obijt,*
Ode XXX.

PAtris ô salue cinis hîc sepulti,
Ipse ubi primos ego Solis ortus
Aurei uidi radios, & alti
Sidera Olympi.

Hic dies nonus mihi Ianuari
Vsque honoratus fuerit, Lomati
Siue in his agris ero, siue magni
Adriæ ad undas.
Flore nam spargam tumulumq́; binas
Fundam humi & libans pateras Iaccho,
Et nouo binas quoque lacte, binas
Sanguine & atro:
Sexq́; nigrantes humerum bidentes,
Et sues cædam totidem, iuuencos
Et pares, magniq́; animam uocabo
Rite parentis.

Suos ad Mediolanenses, se in ædem primariam conferentes, Ode XXXI.

QVid dedicatam poscere Virginem,
Nobis salutem quæ edidit integra,
Debemus, ô dilecte ciuis
Hæc sacra limina qui frequentas?
Non æs & auri plurima pondera,
Non inuidendas diuitiis domos,
Non uina Cretæ grata opimæ,
Non segetes Libyæ feraces,
Sed tantùm honestas cum sapientia
Opes, salutem & perpetuam, & bona,
Castosq́; natos, sitq́; sanæ ut
Spiritus incola mentis almus.

Ad Hieronymum Montium, Brixianum, Iuris utriusque peritorum peritißimum, Bergomensis Episcopi Vicarium, Ode XXXII.

Montius dulcis mihi, dum manebit
Vita, de cuius bonitate nunquam
Non, quoad Musæ fecerint, loquetur
Pagina nostra;
Spiritus de qua tenuis loquetur
Cum pijs umbris meus, hæc reuiset
Vmbra cùm manes, Acheronta, campos
Elysiosq;.
Et tuas illic memorabit ista
Barbitos laudes, ubi fata Diuûm
Graia miratur fidibus canentem
Orphea pubes.
Vate cum tanto tua facta semper
Concinam, rectumq;, nouos poëtæ
Me quoad magnus uolet huc redire
Iuppiter artus.
Nam tuas uates, simul ad meârit
Membra mortalis noua, te canetq;,
Hisce subtexet tibi & inchoatis
Carmina chartis.

Ad Stephanum Marium Hugonium, nobiliß. Equitem Brixianum, Ode XXXIII.

QVid uulgus, ſapiens deſipit ô Mari,
Quid tanquam pecudes, inuida præterit
Huius continuò turba ſilentio
Vitæ curriculum breue?
Nulla eſt huic ratio, non modus ullus eſt:
Iſtam, congerit hæc dum ſibi inania,
Manes en Stygij, nox nigra, fabulæ,
Plutonisq; domus premit.
At, qui natus es hic, uir bone, gloriæ,
Nomen quære tibi, quod minus excidat:
Nam ſtat ſemper honos ingenio, & ſine
Morte atque interitu decus.

Ad Adrianum Cribellum, de Ioannis Moroni Cardinalis abſolutione, Ode XXXIIII.

PArcus uerendi Patris, & infrequens
Cultor Deorum numinis, in uiam
Redire, curſus & relictos
Iam ſtudeo, ſapiens Cribelle.
Inſanienti dum ſapientiæ
Conſultus errans hercule credidi,
Hic cuncta fortunæ arbitratu,
Imperioq; regi putaui.
Afflatus almo numine ſed patris,
Hæc qui creauit, nunc uideo impius

Nutu

Nutu administrari uniuersa
Illius omnipotentis uno.
Supplex adoro tergeminum DEVM,
Summumq; Patrem, progeniem ipsius
Dulcemq;, Spiritumq; sanctum, hæc
Qui dedit omnia, numen unum.

Ad eundem, Ode XXXV.

SVpplex adoro tergeminum DEVM,
Summumq; Patrem, progeniem ipsius
Dulcemq;, Spiritumq; sanctum, hæc
Qui dedit omnia, numen unum;
Qui terram inertem sic regit in polo,
Vt innocenti, & consulat improbo;
Quem Roma lætata est superbos
Vertere funeribus triumphos,
Cùm diceremus, talia ferreum,
Quod, sancte uates, occidit, in genus;
Quò, quò nefaria ô caterua
Fex hominum ruis impiorum?

In Cardinalis eiusdem aduersarios, Ode XXXVI.

QVò, quò, quò ruis inuida,
Et nequam, & scelerum turba nefaria?
His factis'ne tuis, impietateq;
Sunt offensi animi Christicolæ parum?
Non ut Thrax pereat malus,

Verùm ut uota ſecundum impia perfidi
Medi, Roma cadat ſua
Dextra, dura cohors ferrum acuit ſibi?
Mos nunquam niſi belluis
Indiſpar fuit hic. tigribus an feris
Mos ſylueſtribus an lupis
Aut urſis fuit hic, ſiue leonibus?
Vos cæcus'ne malos furor,
(Reſponſum date) uel culpa grauis rapit?
Coniuraſtis amabilem
Morum excindere eam, quam colit Albula,
Et Nymphæ, & Satyri leues,
Fauni & cornipedes? Ab Ioue cœlitum
Hæ uertentur enim patre
In ueſtrum exitium (credite) machinæ:
Morum autem magè, quàm prius,
Hanc florere pius rex Superûm dabit.

Ad Herculem Benalium, Luerenſem,
Ode XXXVII.

BEnali ab æuo nomina Publii
Quæſita non unquam ingenio excident.
Nam poſtera iſtic laude creſcam
Vſque recens ego, dum Paduſq;,
Et Tigris altus rumpet in æquora;
Et pulchra Phœbe dum radians poli
Splendebit inter aſtra, & ad nos
Sol dum oriens nitidus redibit.

Dicar profundus quà obstrepit Tagus,
Tybrisq;, & Ister, ex humili potens
Deduxe ad Italos poëtæ
Carmina sancta modos Hebræi.
Camœna quæsitam ô meritis tibi,
Tuoq; uati sume superbiam.
Tu Delphica & uolens canenti
Phœbe caput mihi cinge lauro.

Ad Ioannem Tonsum I. C. Mediolanensem, Baptistæ I. C. fil. Ode XXXVIII.

Fortè cessantem nimium morabar
Carolum, cùm me tuus auspicatò
Boßius secum ueniens amœnos
Duxit in hortos:
Fratre & à cœna, genitrice coram
Dixit hinc nobis hodie futurum,
Tonse, conuiuam tibi se: manebis
Ergo me & illum.

Primi carminum libri finis.

P. FRAN-

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS CARMINVM

LIBER SECVNDVS.

In Caroli Vicecomitis natali die, Ode I.



Myrtum Diones, laurum & Apollinis
Afferto, multam uimq; hederæ puer
Mihiq; nectendis amarum
Rite parato apium coronis.
Argento & auro rideat hæc domus,
Castis & agni sanguine protinus
Hæc ara uerbenis reuincta
Purpureo nitidi imbuatur.
Solennis iste est, & proprio dies
Mi penè natali hercule sanctior,
Quo natus est uir grande rerum
Et decus & columen mearum,
Descendit alto cùm Linus à polo,
Melosq; longum dicere fistula
Ad oppidum illud, quod uocatur
Curia maior ab uniuersis,
Incepit, orbis regeq; Carolo
Francisco itemq; principe Galliæ,
Qui duxit uxorem uenustam
Cæsaris egregii sororem,

Cùm

Cùm lux tenebras Anguiger horridas
Noctis fugauit Carolus editus
Horam ante quintam, Ianuari
Quæ sequitur latebrosa Nonas.
Vt dormienti tempora Tullio
Arsisse flammis innocuis ferunt,
Hispaniensi Martioq; ut
Ignis obire loquentis ingens
Quiritium ipsis relliquiis comas
Est uisus, ignem sic pueri caput
Videre lambentem oppidani,
Roboris, ingeniiq; signum.
Hac luce, tantum quæ peperit uirum,
Musis amicum & partem animæ meæ,
Ioui quotannis & supremo
Carmina, Cœlitibusq; dicam:
Hac luce tellurem & pede libero
Pulsabo lætus, dulce bibam & merum,
Mactabo diuis sacra, multo
Thure Lares fidibusq; placans.

De Caroli eiusdem in patriam suam meritis, ad Mediolanenses, Ode II.

MAxima læti bonitate Regis,
Maxima læti pietate Quarti,
Qui facit uos & tueatur ut Dux,
Respiciatq;,
Carolo Insubres ea debeatis,

Qui

Qui Pij uestram lacrimans salutem
Remq; commisit fidei Senator
Anguiger unus,
Cùm dies multos foret in Quiritum
Vrbe Legatus, miserans labores
Cùm bonus uestros, Patriæ, referret,
Quarte memento.
In stupens claris titulis uir iste
Aeneus, Ciuis, media stet urbe,
Tuq; subscribe statuis, Parenti
Vrbis amando.

Ad Carolum eundem, Ode III.

QVàm te celebrent Thespiades meæ,
Nosti ipse, quanti te faciam Anguiger,
Intelligo uno ex hoc, quod usque
Somnio te, cano, diligoq;.
Præclara uirtus & sapentia,
Tuumq; cœleste ingenium facit,
Tuos ut optem astris, patrumq;
Inserere æthereis triumphos.
Aeternus ergo carminibus meis
Tu fortis, æquus, tu sapiens eris,
Si me inter æternos Apollo, &
Ponere fama uolet poetas.

Ad

Ad Iosephum Alberam Genuensem, Pauli fil. apud Galliæ Regis Legatum Venetiis prandens. Ode IIII.

DIcis ô Sortem bone uir fauere
Dignitas sicut, ratioq; poscit
Illius, de quo bene uult mereri.
Non Dea iniqua?
Fallere: insanam & uolucre cæcam
Et boni brutam penitus parentes
Esse fortunam, sapere & uidere &
Cernere quam uis,
Particeps quam uis rationis esse.
Si cauet iustis, sapientem, & æquum
Quid necat Brutum, fauet & tyranno
Numen utrique,
Cæsari, & Marco? bona sancti Ofelli
Quid dat Vmbreno, precor, efferato?
Impijs cur & iugulatur ille
Caßius ingens?
Socrates alter, Comes ecce Primus,
Patrioq; agro latet Adrianus
Castus, hoc queis nil melius uidet Sol
Purus in orbe:
Non rapax isticapicem repente,
Albera prudens, posuiße gaudet
Inde sublatum tibi Sors bonisq;
Et mihi iniqua.
Insubres illi, sua mutuauit

Queis

Queis bona obſecro modò, ciuitatis
Sunt decus? quales Dea ſancta Olympi ad
Aethera uexit.
Hæc fuit quondam, quæ hodie eſt, eritq́;
Semper in terris inimica, cui uult,
Cui placet uerò ſine lege, more
Belluæ, amica.

De Carolo Vicecomite, *Mediolanenſium legato, ad Philippum regem in Belgicam proficiſcente,*
Ode V.

M*Agnum ad Philippum mittitur Anguiger*
Legatus, armantem horrida Galliæ
In caſtra Belgas & Britannos,
Vos Italos etiam, atque Iberos.
Seruate Diui illum omnibus ô uijs,
Et cana paßim uellera nubium
Inducite; ut ne Sol uolantem
Igneus hunc radijs adurat:
In patriam urbem quæſo reducite
Non triſtem & ægrum, uerùm ita ſoſpitem,
Votiua thura ut & iuuencam
Reddere Diis properemus albam.

Ad D. Victoris, qui Mediolani sepultus est, reliquias, Ode VI.

MAurus hîc miles Superis amatus,
Miles imbutus pietate Victor
Hîc iacet? tanti hi cineres uiri sunt,
Relliquiæq;?
Hoc caput, regis rabidi nefanda
Iussa temnentis: patris ut supremi
Particeps fiat, Naborisq; consors
Atque sodalis?
Quid mori per uim uolusti, & heros,
Ista neglexti bona? at ipse uiuis,
Mortui nos. sed lacrimæ uetant me
Plura referre.

Ad Maximianum Imperatorem, qui Mediolani D. Victorem obtruncauit, Ode VII.

QVid heu, quid istic Maximiane das
Summo parenti supplicium graue?
Quid oro torrescis miselle
Ignibus impositus tyranne?
Sæuissimi amens quid rabiem patris
Ita es secutus, gentis uti tuæ
Decus furore incensus acri
Sustuleris Ioue non probante?
Opes ubi immensæ, atque potentia,
Queis perdidisti hunc egregium uirum

Tu pauper, at nunc ille diues;
Tu miser usque, beatus ille.

Ad Aloysium Mocenicum, Leonardi. Eq. Cl. fil.
Ode VIII.

QVod uir insignis docet, explicabo;
Sanguinis certè & generis secundam,
Primam Aristocles animi inquit esse
Nobilitatem.
Nobiles illos tamen aptiores
Esse uidendum ad bene dicit idem, &
Ad bonas artes, hominum genus quàm
Istud agreste.
Fortis ut forti, pius ut benigno,
Vt ferus sæuo, rudis & rudi, omnis
Nobili sanè pariter creatur
Nobilis usque.
At, bone & prudens Mocenice, cuncta
Vt soror Phœbi micat inter astra,
Sic tua præstat Venetis honesta
Stirpis origo.

In urbe tumultuosa non ualere se libros carminum inceptos absoluere, Ode IX.

IN urbe, dulcis Melpomene, mihi
Incepta nunquam carmina finiam
Curas tot inter, & labores.

Nos

Nos Eques ut ſua rura ducat.
Sponſum atque patronum aduocat hic ſibi, hic
Me carmina auditum. hic cubat ad Petri,
Extrema & hic in ciuitate;
Viſere oportet utrunque manè.
Plenus tumultu paruulus eſt cauus,
Vbi eſſe cogor. uox, ſonus undique.
Fortaſſe dicas, Non amice
Sunt plateæ tibi in urbe plures?
Vt prorſus obſtet nil meditantibus.
Tranſit redemptor hac gerulis furens,
Immunda curſim illac ruit ſus,
Aut rabioſa fugit catella.
Et torquet ingens machina nunc trabem,
Nunc ſaxum: ad auras fœmina concinit.
Hîc cerdo clamat, cum fabriſq;
Hîc pueri, iuueneſq; iurgant.
Rus quando promiſſum aſpiciam Anguiger?
Quando licebit nunc ueterum libris,
Nunc euagatione, uitæ
Non meminiſſe dies moleſtæ?
Vbi ſub umbris & recubabimus,
Muſas agreſtes & meditabimur.
Extendere & ſtylo docebit
Calliopea & Apollo famam.

Ad Carolum Vicecomitem, Mediolan. Equitem & Senatorem clariß. Ode X.

CArolus quondam bonus Imperator
Ipse legatum uenientem ubi te
Vidit, accepit subitò libenter,
Vt Pius ingens.
Cæsaris quamuis tibi sors sit impar,
Et cientelis, opibus potestas,
Est tamen robur tibi, nomen eius,
Relligioq;.
Gesta uenturi tua quò nepotes,
Anguiger regum genus ô potentum, &
Audient pugnas, animiq; neruos
Maximi in armis:
Audient dulces etiam camœnas,
Et Ioui gratos numeros supremo;
Audient rectumq; tuum, fidemq;,
Vera trophœa.
Desinent magni populum Quirini
Desinent priscas acies, Philippi
Desinent regis, patrui, & patris mi-
rarier acta.

Ad Carolum eundem, Ode XI.

PAter Philippi regibus, Anguiger
Magne, uniuersis præstitit, ipse quàm
Præcedis insubri uniuersæ
Roboreq;

Roboreq́; & pietate genti.
Missurus Afros Quintus in impios
Castra Italorum fortia, copias
Acresq́; Iberorum, rogatus
Quem uelit esse Ducem suorum,
Cras audictis gens mea, edidit.
Sacro & peracto rite, pius gerens
Signum, directi in quo imago
Regis erat, lacrimans, Erit dux
Hic uester, inquit, gnauus, ego illius
Legatus. omnes collacrimant simul,
In rege miranturq́; tantum
Cum pietate mera esse robur.

Ad Egidium cognomento Sanctum, Virum ornatiss. Mediolanensem, Leufortis fil. Ode XII.

ET si mollibus haud conueniat modis
Aptari citharæ tela Diespitris,
Tellurisq́; genus fulmine perditum,
Neptunum, & Stygium Iouem,
Terras æquoreis fluctibus obrutas,
Iactatos lapides fœmina & à uiro
Post tergum, unde genus durum hominum sumus,
Rerum semina & omnium,
Et Pythona Deo perditum ab inclyto,
Formas in uarias plurima corpora
Mutatas, gelidum climaq́; Solibus
Exustas Libyæ, & domos;

Patrum relligio, Sancte uir, attamen;
Hortatusq; tui, ut tergeminum canam
Persuasere patrem, perpetua & Deûm
(Vertat quod bene) numina.

Ad DEVM, Patrem, Ode XIII.

TErræ creator frugiferæ ô pater,
Immensi Olympi, & raucisoni æquoris,
Mortalium, immortaliumq;,
Qui regis æthereas phalangas;
Tuis precamur consule filijs
His, quos adoptasti à patribus, poli
Tandemq; nobis da obsecramus
Cœrula templa uenire magni.
Pulsas fideles at quia seruulos,
Nunquam hîc uidebis uerberibus pater
Negare nos, simus bonorum
Dummodo participes tuorum.

Ad DEVM, Filium, Ode XIIII.

PAtris supremi dulce genus, pia &
Integra uirgo hîc quem Maria edidit
Diuina & humana creatum
Stirpe, parente DEO iubente,
Perquem reseruat semina rebus hîc
Natura cunctis, res creat atque alit
Ac mutat, & penas iniquus

Cui scelerum dabit omnis usque,
Mentes redibunt corpora cùm sua
Repente; nobis prospice, pro quibus
Dignatus es magnæ potentum
Prodigus esse animæ Deûm rex.

Ad DEVM, *Spiritum sanctum,* Ode XV.

Q*Vi numine imples ô superos polos,*
Suffis qui inertem Spiritus hanc humum
A' filio emanans, & eius
Patre, perennis, ut alma proles
Patris, & ingens ut genitor, pius,
Sanctusq́; ut illi, sic dominus, DEVS,
Aeternitate & rex ab omni,
Omnipotens, facilis, beatus;
Benignus affla numine nos tuo,
Mentisq́; nostræ in templa ueni, nouis
Loquamur ut linguis diserti,
Et bona perpetua assequamur.

De Diuis septem Ephesiis, qui ab Ecclesiasticis dormientes appellantur, Ode XVI.

C*Iuium septem, Decio furente*
Impio, montis latebrosa in aluo
Ardui cùm mens simul & sopita
Membra iacerent,
Secla ubi accepi duo continenter

Nocte tanquam una iacuisse; rupem
Vt cauam pandit regionis huius
Incola diues,
Mox uiri surgunt subitò excitati,
A' minis sæuiq; Decij timentes;
Forte nam pransum properârat ille,
Et faber omnis
Hinc sui cunctos perijsse sontes
Seculi & regem liquidò uidentes,
Gratias magnas habuere CHRISTO
Omnipotenti;
Inde cœperunt recubare in antro
Alto, ubi stertunt & adhuc, simulq;
Dormient illic, Superûm parente
Auspice summo,
Ad diem, quo ignis fera flamma nigri
Orbis immensi speciem hanc aduret,
Quo solum replebit iners calentis
Buccina terræ,
Quo reuiuiscent homines sepulti
Condito à mundo; graue quod nocenti,
At pio gratum; pater huic & illi
Consulit æquus.
Nam bonos cœlum uehit ad serenum
Impios flammis cruciat molestis;
His graues pœnas, bona sempiterna
Erogat illis.

Ad

Ad Carolum Vicecomitem, Ode XVII.

DEprenſus Aegeo obſecrat ocium
Mercator irato, obſecrat ocium
Timens furenti à Marte miles
Adueniente Deos ſenecta.
Gemmis, & auro, purpura & haud quies
Venalis ulli eſt: ille beatus eſt,
Sibi optat hic qui nil, DEVS cui
Donat habere, ſatis quod illi eſt.
Non Conſularis ſummouet Anguiger
Mentis tumultus, qui miſeram enecant,
Lictor, uel ingens auri aceruus,
Non ager & domus ampla, opesq́;.
Ergo fruatur diuitijs ſuis,
Gazaq́; regali omnis homo impotens:
Huiuſmodi aufert uſque ſomnos
Cura, metus, timor, & cupido.
Quanquam exul amens ſe fugiat quoque,
Mutent auari Sole alio licet
Terras calentes, Romæ & oſtrum
Inuideant alii ſuperbum;
Dij ſi dederunt, quod ſatis eſt tibi
O' Carole argentum omne Quiritium, &
Non urbe patria ipſe mutes
Diuitias operoſiores.

In auarum hominem, à quo deinde ad Carolum eundem conuertitur, Ode XVIII.

Mortis ecquid immemor
Atræ & sepulcri luridi inuidendas
Sic tibi struis domos,
Locas sub ipsum fumus & secanda
Marmora, ut si humus tibi
Linquenda nunquam, aceruus & sit æris?
Limites clientium
Salis quid ultra? quin modum oro figis
Huic tuo cupidini?
Aes omne ubi & congesseris, uiæq;
Cunctæ ubi, atque porticus
Te cognitum hîc bene urbis omnis, atque
Regia aulæ uiderint,
Quò Tullus & deuenit Ancus ipse
Restat ire mox tamen.
Non Hectora interemit, atque Achillem
Grandia uniuersa quæ
Et parua mors obscura dextera aufert?
Diues à Duce Italo
Nil interest, an pauper ortus Iro
Ambules uia miser,
Morêre sub dio aut rapacis Orci
Victima: emori est opus:
Præclusa non est porta mortis ulli.
Ipse at Anguiger bone,
Cui hercule ingeni est benigna uena,

Qui Deos nihil suprà
Magnos lacessis, nec Philippum amicum
Largiora flagitas,
Satis beatus patriis agellis,
Purpuram Quiritium,
Opes, & ostrum negligens superbum,
Nunquam obibis; æthera
Pinna uolucris perferere inane,
Versus in canoram auem;
Iam Dædali Icaro ocyor gementis
Bosphori arua, & ultimum
Nosces Gelonum, Colchum, Iberum & acrem:
Nunquam obibis. ista uos
Auferte, inane funus, næniasq;
Mittite, atque lacrimas
Compescite: ingens uiuet usque hic Heros.

In beatornm fratrum Protasii & Geruasii Mediolanensium die natali, Ode XIX.

FRatres beati, lucida corpora,
Vitalis æterni atque Valeriæ
Genus, fugacia & caduca
Non humiles bona negligentes,
Vestris cauete oro Insubribus, iubar
Vbi uidistis Solis & aurea
Hæc astra primò; sempiterni &
Iussa DEI *didicistis olim.*
Natale uobis hoc Solum ubi (nefas)

Vos perdiderunt ferrea secula,
Quæ maximi à cultu parentis
Impia distrahere uniuersum
Gregem bonorum, relligioneq;
Sancta studebant, cùm roseo gemens
Tellus inundaret cruore,
Plenaq; cuncta forent tumultu.
At regis almi summa parentibus
Hinc cum beatis uos bonitas poli
Ad sidera euexit, nocentes
Vnde uidetis in igne aduri.
Vestris cauete oro Insubribus; famem
Per uos in Indos, armaq; agat pater,
Reducat huc dulces modosq;, &
Carmina grata piæ camœnæ:
Hanc uestram in urbem priscus honor, quies
Obsecro per uos, & redeat bona
Concordia, & neglecta uirtus,
Paxq;, fidesq;, pudorq; castus.

De D. Sebastiano, ciue Mediolanensi, Ode XX.

SEbastianus non sine gloria
Rex copiarum Cæsaris efferum
Fugauit Augusti hostem; in urbe &
Vidimus insolitos triumphos:
Secutus est hinc militiam illius
Regis, supremus quem pater à nigris


Ipse excitauit inferorum
Sedibus, ut prius ijs recepit,
Qui derelictis omnibus aureum
Se contulerunt ipsius ad gregem.
Vt Martio inuicto ad feroces
Ignibus innocuis Iberos
Phalanga adhortanti exanimem suum
Ardere cunctis tempora uisa sunt;
Sebastiano idem alloquenti
Martia castra Duci Quirites
Euênit, ipsi reddita cùm fuit
Loquela Zoë, quæ fuerat diu
Muta, atque plurimi repente
Deseruere Deos inanes.
Isti ergo certè magnanimo Duci
Non nulla primæ, & maxima, sed mage
Aeterna gloria atque fama est
Militiæ potior secundæ:
Mercedem inanem huic uanaq; præmia
Laboris eximii illa, dedit sed hæc
Donauit æterno throno, atque
Transtulit in numerum Deorum.

Secundi libri carminum finis.

P. FRAN-

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS CARMINVM LIBER TERTIVS.

Ad Carolum Vicecomitem, Mediolan. Equitem, Senatoremq; clariß. Ode I.



Vadente quòd me, Pollio ut inclytus,
Ingens ad artem Carole musicam
Marte à cruento uis redire,
Gratia Dijs superis habetur.
Qui nunquam amasti uana, fugacia
Bona ista, flagrasti usque cupidine
Qui maxima immortalitatis,
Te Stygia haud cohibebit unda:
Te sera, ut illum, cuius habes uiri
Nomen potentis, posteritas canet
Heroa; te, & tuos futuri
Versiculos colent nepotes,
Cùm pompa seruorum, istaq; gloria, &
Suis peribunt cum dominis opes,
Ignotus & rex cùm iacebit
Victima nil miserantis Orci.
I nunc, & aurum suspice; & omnibus,
Quòd mille spectent lumina te in uijs,
Magnosq; spiritus Marine,

Sume, putaq; Iouem esse te almum.
Nam cras uidebis lurida tartara,
Differt ab Iro Crœsus ubi nihil,
Vernas ubi & flet inter Ancus;
Nomen, opesq; tuæ interibunt.
Regum potentum sanguis at Anguiger
Non unquam obibit, laudeq; postera
Huic gloria, inclytumq; nomen,
Fama recens, honor, usque crescent,
Dum fœta tellus & dabit arbores,
Et uiua lymphas flumina dum uehent,
Dum turtur ulmum, ouisq; gramen,
Et Cytherea choros amabit.

Ad eundem, à Christophoro Madrucio Cardinali, Regio Mediolani præfecto, uniuersi Mediolanensium exercitus, CIↃ IↃ LVII, Ductorem creatum, Ode II.

LVcem urbis huius, flosculum & unicum
Te iudicauit Carole Regius
Præfectus ille ciuitatis
Madrucius sapiens, bonusq;,
Qui fortè, Quarto principe Romuli
Vrbis, phalangas Galliæ in inclytas
Nos illico armans te uniuersis
Præposuit Ducibus magistrum.
Insubrium heros maxime fortium,
Vidi ipse magnos his oculis Duces

Te consequi, horum copiasq;
Militiam numero carentem:
Moronus ingens, Annibal *& tibi,*
Pater Gibertus *nostri &* Episcopi,
Regis sorore orti Quiritum,
Et Galeratus *amans camœnæ*
Parebat, ipse & Posterula, *& potens*
Carcanus *armis, cumq;* Triultio
Cum Cæsare *&* Borromeo *unà*
Et Marianus *item &* Cribellus;
Parebat hæres Anguigeri, *& Comes*
Tubas, caballosq; Hippolytus *crepans:*
Hos copiarum strenuosq;
Castra Duces *sua qui præibant,*
Reges cohortum & signiferi simul
Sunt consecuti, nobilitas item
Priuata; Calchi, Magijq;,
Turrigeri, Croti, *&* Adduenses,
Castilioni, Vincemalæ, Nigri,
Porri, Cusani, *denique* Boßij,
Clarißimæ urbis Regij *omnes*
Et Comites *numerus fuerunt.*
Quapropter isti, Carole, gloriæ
Cedant parentes, tot spolijs tui
Cedant Othones *& superbi:*
Perpetuum hoc tibi erit trophœum.

Ad

Ad Carolum eundem, Insubrium ad Pium IIII Pontif. Max. legatum, Ode III.

O' Dulce uatis præsidium tui,
Dulcis mihi à te reddita littera est,
Descripta in urbe flaui opacas,
Rege Pio, Tyberini ad undas.
Quid liberali non tibi debeo?
Quid? charitati quando parem tuæ
Valebo gratiam referre?
Nam uoluisse sat haud uidetur.
Quòd scribis oden esse meam tibi
Pergratam & acceptam, oro Deos, mea
Vt uiuat usque Musa: feri
Quò tua facta legant nepotes,
Tu, fortè diuisa orbe Britannia
Toto exarasti cùm schedulas mihi
Legatus ingentem ad maritum
Egregiæ Mariæ Philippum,
Non tam mihi olim gratificatus es,
Fortißime heros Carole, quàm modo,
Qui tanta sustinens Quirini,
Totq; negotia in urbe magni,
Memor fuisti (quæ bonitas tua est
Miranda) parui magnus amiculi,
Solatus esq; lacrimosum,
Atque tuos abitus gementem.
Quapropter, hæc si quid mea carmina
Possunt, tuorum haud, auspice Apolline,

Vnquam patrum occidens, tuosq;
Eximet ulla dies triumphos.

Ad Aurelium Portulacam, ciuem Brixianum, ruri commorantem, Ode IIII.

STratus uirenti membra sub arbuto,
Nec sperne Chij pocula maßici,
Nec de die ullam partem amice
Demere, rura coles dum auita.
Bacchus reducit mentibus anxijs
Spes, atque uires, læta poëmata
Dictat, tenebras mentis, atram
Atque fugat nebulam repente.
Virtus Catonis non caluit mero?
Dicturus arma & non bibit Ennius?
Vinosus Albius fuitq;, &
Mæonides, Maroq;, & Catullus.
Scripturus ergo, docte uir ô merum
Potes: bibentis nam gelidas aquas
Per ora plus anno uirorum
Carmina nulla ualent manere.

Ad Andream Huraltum Meßium, Regis Gallorum ad Venetos legati fratrem, Ode V.

SIc te quid urit forma Lycoridos,
Suspiria imo pectore uti trahas,
Siue inter ambules amicos,

Siue toro iaceas supinus?
Ne de puellæ sæuitia rogo
Despera, at occurre in triuijs ei,
Reducito, usque ad id requirens
Tempora amica tibi, modosq́;,
Et pange uersus huic miserabiles.
Sed persceuera; nam diuturnitas
Hic commodi uniuersa uincit
Temporis, & mora longa amanti.
Huralte, longo non spacio uides
Guttas cadentes marmora, saxeas
Pertundere asperásq́;, uincunt
Duritie quæ adamanta, moles?
Sic, quæ uidetur durior esse nunc
Ferro, tibi istis fletibus & prece
Et mollietur lacrimosis
Versibus, officijsq́; amica.

Ad Carolum Vicecomitem, Ode VI.

SIc liberalis, charus, amabilis
Cunctis fuisti iugiter, & pius
Domi atque belli, laudem ut absque
Inuidia eximiam paráris,
Mi testis Ister, atque Britannia,
Errare laudes hæc mea carmina
Ne quis per incertas loquatur;
Parma etiam mihi fida testis,
Gonzaga ubi armis inclytus admodum

Ferrandus ingentem atque animum tuum, &
Ardorem in armis, maximumq;
Robur, & ingenium probauit;
Male ad loquendum fortibus & bonis
Pasquillus ortus testis ad hæc mihi;
Qui te, cohortes dum tuasq;
Roderet, atque duces, probauit,
Famosi inertem carminis illius
Cùm iußit auctorem illico perdier
Incensus ira magnus ille
Madrucius pater, & Senatus.
Quadere honores ô tribuam Anguiger
Magne trophœis Pierios tuis,
Pro te uel hyberni hercle qui ausim
Per rapidos maris ire fluctus,
Et inter angues currere, fumidis
Committere Aetnæ corpus & ignibus
Paruum hocce; curæ isti, tuisq;
Sic meritis mea Musa debet.

Carolo eodem, Mediolanensium legato ad Carolum V. Imper. Philippumq; regem Max. proficiscente, ad Fortunam, Ode VII.

GRatum Diua potens quæ regis Antium,
Quam nauta & metuit, miles & inuocat,
Pauper, disq; precatur,
Formidant iuuenis, senex,
Formidat Libyæ gens, profugi & Scythæ,

Atque

Atque asper Dacus, & feruidus Aethiops,
Immitisq; Britannus,
Pugnaces & Iberi, & Latium ferox;
Crinitam faciem uerte rogo potens
O' mortalia & hæc tollere de gradu
Imo, & uertere summa
Præsens interitu graui;
Et serua Anguigerum nuncium in ultimam
A' nostra properantem urbe Britanniam
Regum ad tecta potentum; &
Messalam, & comites foue.
Eheu mi lacrimas ne renoua obsecro
Et fletum Dea, quo tum madui, tuo
Cùm de Vulnere lux est
Restincta Insubrium ferè,
Peruersæ comitum sæuitiæ pius
Fortè occurrere dum nobilium parat,
Insanoq; furori, &
Cæco, non auibus bonis.

Ad L. Fabium Hugonium, Brixianum, Hieronymi fil. Ode VIII.

GEns Deûm Luci bone, liberalis
In bonos, qualis Stephanus propinquus,
Quàm suis prudens homulus, sibiq;
Consulat audi:
Sæpius dixi mea fata dura
Quæstus; O' Diuos utinam per almos

Non hoc egißem, potius sed amens
Illud, & illud:
Illud at peius, (mihi crede) & illud
Peßimum (quantùm uideo) fuisset;
Et fuit certè melius, malum'ue
Hoc minus illo:
Sæpe nam Vates sapiens mihi; Hocce
Tu nisi egisses, ait, illud atque
Si illud egisses, equidem periisses
Funere acerbo;
Sermo nec purus Dauidi fuisset,
Nec pia erepta Styglis ab undis
Porcia; haud laudes caneres camœnæ
Lucii amantis:
Quæ pater Diuûm mala fata cernens,
Vt tuæ matri facilis caueret,
Patriæ à dulci te aliò benignus
Transtulit usu.
Ergo in æternum bene consulentem
Maximè ingrati fuimus parentem,
Ista dicentes; quoniam per illum
Spinula uiuo:
Quod tuam sæuo Lalagen amanti
Si datum Petro Superis fuisset,
Non fero Muti miser occidisset
Cæsaris ictu.
Numinis ductu genitor redibat
Dulcis in fines patrios, aberrans
A' uia euasit furiosi & hostis

Tela morantis:
Muneris tanti tamen & salutis
Is datæ ingratus gemit; hinc sacratas
Diis, dolo accepto, uituli cruore
Imbuit aras.
Vitat Augustus sacer ille præsul
Sic uenenatas hominum sagittas,
Dum uiis errans propria recedit
Longius urbe:
Queis & acceptis, DEVS, inquit, almus
Non minus nobis cauet hoc in orbe,
Quàm potens ægri medicus iacentis
Vulnera curat;
Vt solet natos pater ipse charos
Sæpius plagis grauiter ferire,
Ipse non nobis aliter Deorum
Prospicit auctor.

Ad Carolum Vicecomitem, inducens eum singulis quatuor carminibus respondentem, Ode IX.

S. TV, quòd præsidio es bonis,
Et defendis eos sontibus à malis,
Vnus charus eris mihi
Semper, ciuibus & charior omnibus.
V. Tu, quòd gesta canis mea,
Virtutemq; patrum, factaq; fortia,
Vnus gratus eris mihi

Semper, uatibus & gratior omnibus.

S. *Forti notior Hectore, &*
Aenea fueris carminibus meis,
Ingenti orbe si amiculum
Seruent numina me magna superstitem.

V. *Viues rege beatior,*
Auras, ut cupio atque expeto, carpere
Vitales tibi si uolent
Arcana Anguigerum fata superstitem.

S. *Quòd me tempore, quo ferè*
Liquerunt alij, sic pietas tua
Complexa est, nihil ut suprà,
Pro te non metuam Publius emori.

V. *Quòd me diligis unicè,*
Atque omnes homines, quòd mihi posthabes,
Nec uis me sine uiuere,
Pro te bis patiar Carolus emori.

Ad Carolum eundem, Ode X.

PRætermissa canam, Thespiades, mei
Inq; orbem ueniam carminis; ut sono
Contactus solito gaudeat Anguiger,
Et flos Insubrium & decus.
Heros ò sapiens, doctus Apolline,
Virtuti, ut facis, &, Carole, gloriæ
Seruito, dum alij in rebus inanibus
Aeui tempora conterunt,
Fuluo incredibiles seu sibi congerant

Auro diuitias, siue domos, uias,
Aedes, templa Deorum undique, publica &
Cæmentis triuia occupent.
Clauos cùm subitò dura necessitas
Fati uerticibus mox adamantinos
Figet, non laqueis hi miserum hercule
Vinclis expedient caput:
Paulatimq; ruent omnia, quæ extruunt;
Extemplo eripiet cæca & opes eis,
Thesaurosq; suos Sors aliis dabit,
Quos ille, atque modò hic habet.
Verùm facta tua hæc, patris & inclyti
Nunquam, gesta & auorum, Anguiger, excident,
Nunquam uersiculis hæc tua cum bonis
Fama, atque ingenium excident.

Ad Carolum eundem, Ode XI.

Iste, qui fex est hominum, scelestus,
Dum tuas laudes canimus, sacratis
Non choris unquam Dryadum molestus
Desinit esse:
Fractus est à quo iugulus parentis,
Sæpe pulsata & genitrix, aui qui
Minxit in castos cineres, bonorum
Hostis & æqui:
Ecce ut à Diris agitur, uiden' me,
Teq; ut infamis uiolet, Senator;
Ora ut in regem Superûm nefandus

Impia soluat?
Si ergo uulgari Latias per oras
Vis tuum & nomen patrium, tuæq;
Famæ, & huic tandem lacrimoso & ægro
Consule uati.

Ad A. Calemerum Plantinidum, Ode XII.

QVid ita amens mulier te pater ista
Sapientem rogo Calemere uexat,
Vt ei sic caueas, quæ nec amat te, nec amanti?
Inimicam quid amicam cupis esse
Tibi adhuc, quæ fera te non amat hercle,
Bona uerùm tua, quæ fert, Corydoni & dat aman-
In ea quid tibi, quid comperis inquam,
Quod ametur? Moricho stultior est, &
Magè certè cane bruta, & sue deformior omni,
Mihi Magi an sonus, ars Canidiæq;
Alium te faciunt, atque sodales
Et amici cupiunt ô pater ornate uidere?

Ad Carolum Vicecomitem, Ode XIII.

O Flos Anguigeræ gentis amabilis,
Et Phæbo & Cythereæ, omnibus & Deis
Periucunde, Diones
Cura & Cœlicolûm patris,
Musa dictæ mihi dextra & Apolline,
Titan quo melius nil uidet, infimas

Lustrans

Lustrans lampade terras,
Gentes esse apud Insubres;
Qui curru quatiens æthera feruido,
Telo flammigero nubila diuidit,
His si quando camœnis
Optatum dabit ocium,
Fies nobilium tu quoque Principium,
Me dicente tuum robur, Othonis &
Magni raptà trophœa.
Olim barbarico à duce.

Ad Carolum eundem, Ode XIIII.

TE, si Panthoïdæ boni
Hæc sunt quæ loquitur uera sapientia,
Orcus non habuit semel,
Testantem clypeo bella refixo ea
Quæ gessit Libya potens
Armis Publius in Scipio torrida,
Testantem & gladio illius,
Qui Desiderium fuderit, & Ioue
Dextro, Marteq; prælia.
Te armatum quoties uidimus, optimo
Gonzaga Insubrium duce,
Spectante Hippolyta uirgine filia
Formosa illius, agmina
Comportata ab equis cùm bicoloribus
Parerent tibi, & horrida
Pugnæ acris cierent mox simulacra, queis
Deuinxisti

Deuinxisti animos tibi
  Vrbis totius, & Principis ipsius?
Ornatus uarios, item, &
  Laruas quid memorem? quid peregrinaq;
Arma, & carmina persequar?
  Tempestate quibus tu choreis ea
Festis usus es haud semel
  Coram nobilibus, Carole, Cyprijs:
Quæ Rainerius omnia
  Hetrusco cecinit carmine nobilis:
Quanquam nunc animus tuus
  Aeterna appetat, ut Scipio, maximus
Regum & Carolus omnium;
  Quò inter signa mices lucida, ut Hercules.
Primo auctore sed optimo
  Vita, dum legis hæc sacra uolumina,
Scriptores studiosè eos,
  (Vt uitans uitium ne in uitia incidas)
Qui claris superi nigram
  Offundunt nebulam sideribus poli.

Ad Hippolytam, Ode XV.

QVid non præposuisti, Hippolyta, Insubres,
Vt Faustina decens, & tu alijs uiris?
  Nanque hæc Mutio, & hinc Annibali, haud suis
  Nupsit uirgo Quiritibus.
Fortunauit utrunque almus ei pater
  Et rex cœlicolûm: nulla beatior.

Lugenti

Lugenti timor atque iste uiri tibi
Certè causa perire erit.
Amens nam iuuenes in tunica tibi
Pulchros esse putat. quin facies Deæ
Istum picta, solent & simulacra item
Cæcum lædere cœlitum.
Inclusa ut Danaë turri es ahenea,
Infelix Monima ut nupta uiro extero,
Sæuo uel potius nupta tyranno, erit
Qui uir causa tibi necis.
Hæc, dicas, alijs natio dulcior?
Hîc num quis melior? Præstat ut Insubris
Omni gens Italo, Carolus Anguiger
Cunctis Insubribus bonis.
Te si huiuscemodi Cypria coniugi
Despondisset enim, quæ cupis, omnia
Is fecisset, & haud seruitium tibi
Immutasset amabile;
Omnes te colerent (crede mihi) Insubres:
Omnes te canerent & populi: potens
Et regina fores, uirginibus fores
Et felicior omnibus.

Ad Carolum Vicecomitem, Ode XVI.

TAndem eamœnæ dulcia, Carole,
Nostræ, ut uolebas, ocia sunt data,
Suadente Barbono: is mihi illum
Conciliauit enim scelestum.

Quò

Quà cadit Vultur, radiatq; telum,
Cernitur cunctis uia quà sereno
Lactea coelo.

Ad Io. *Iacobum* Rotulam, Mediolanensem, Ode XVIII.

INgens dic Rotula, *ô tua*
Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Cur te à laurea Apollinis
Martis uirgo furens transtulit ad sui
Lauros, *bellaq; matribus*
Detestata, ad equos, ad lituum, ad tubas?
Nam *doctarum hederæ* Deis
Miscebunt superis præmia frontium,
Hæ si te gelidum nemus
Nympharumq; leues cum Satyris *chori*
Secernent populo, aurea
Sublimi feries sidera uertice.
Ergo, *ne redeas* Lares
Vrbanos rogo, sed me potius uoca
Istuc, Cynthiam *ubi tuam*
Dicamus, syluásq;, & nemorum Deos.

In Caroli Vicecomitis *legati reditu à* Pio IIII *Pontif. Max. apud* Ioannem Tonsum *I. C. prandens,* Ode XIX.

Carolus

CArolus flaui Tyberini ab oris
Insubres tandem rediit; quod almum
Per Iouem in somnis, bone Tonse, noctu
Vidimus ipsi.
Cæcubum ad festas epulas repostum
Huius aduentu, comites, bibamus
Læti; & insignem sua quisque uatem ad
Pocula dicat;
Singula & nomen redeuntis urbem
Verba præclaram resonent, serenam
Hanc diem uinum celebret; liquemus
Dulce Falernum.
Luce nec festa rubor est madere,
Nec malè errantes tibias pedesq;
Ferre. & adsitis, laqueos cadoq;
Soluite Chio.
Et coërcentem pueri feratis
Nauseam uinum: iuuat atque curam
Caroli rerum iuuat & timorem
Soluere Baccho.

Ad Carolum eundem, ruri agentem, Ode XX.

QVid, Musa, dicam? numina maximi
Patris, gigantes corpora grandia,
Qui terræ alumnos ingementis
Fulmine sustulerit caduco?
Regem uel undarum, an Stygium Iouem,
Vel Pallada intactam, an Cererem canam,

Bacchum rubentem'ue, an Quirinum?
An genus armipotens Othones,
Marcum, Philippum'ue Anguigeros duces,
Qui densa gentis Turrigeræ agmina
Fudere; Carolum'ue lucem
Et decus Insubrium celebrem?
Quid in remotis carmina rupibus
Cantare mauis me sine Carole,
Oblitus armorum? quid inter
Capripedes Satyros, Deasq;
Istic agrestes nunc sine me doces
Nymphas decentes, & Venerem tuam?
Decus, trophœa rapta, laudes,
Nomen, honosq; tuus manebit,
Dum signa nigris lucida noctibus
Cœlo micabunt, candida cornibus
Dum Luna recrescetq;, Solq;
Sidera dum rediens fugabit.

In D. Ioannis Baptistæ natali die ad Aloysium Mocenicum, Leonardi Equitis clariss. fil.
Ode XXI.

ROscidam cantu uocat ales, orte
O' Dea, Auroram uario: exeamus,
Nostra tingamus celeres salubri
Corpora rore:
Mater in somnis ad eum Marina
Adriæ est multis comitata nymphis

Visa te natum mihi dormientem,
Meq; uocare.
Lux redit nobis sacra, quam benignus
Cœlitum rector radiante uultu
Cæteris cunctis melius diebus
Vsque serenat.
Nanque Baptistam dedit hæc prophetam
Lux Ioannem; uenientis ortum
Qui Dei cæco bona nunciaret
Gaudia mundo:
Nam pios inter micat uniuersos
Nuncius regis Superum, profundi
Qualis in ponti radiat marinis
Lucifer undis.
Lucifer Solem præit, atque finem
Horridæ noctis canit hac loquela &
Voce, quam paßim tenebrosa tellus
Præcipit omnis;
Sic Ioannes Mariæ antecedit
Virginis prolem dominum supremum
Nuncius nobis sacer, & profundis
Manibus idem.
Desinit mutus pater esse uates
Vatis, & summum celebrat parentem, &
Filium appellat, canit, atque mulcet
Numine plenus;
Quò scelus uitans hominum, relictis
Vrbibus, solas habitare sedes
Solus, & malit fluuio, locustis,

Melleq; uesci,
Mel'e syluestri, quod apes uirentum
Congerunt ramis nemorum implicatis;
Quale aberrantes ego & ipse frater
Vidimus olim.
Iste quàm tardo gelidus salubris
Corporis ros est. liceat per orbes
Annuos centum hoc ita rore nobis
Tingere membra.

Ad Gabrielem Phaërnum, Cremonensem,
Ode XXII.

PHaërne simplex, & Lycij Dei
Martisq; alumnus Carolus Anguiger
Amicus ille gens Othonis
Barbaricis spolijs superbi,
Aurum ut metallis, Insubribus bonis,
Quot sunt, fuerunt orbe & in hoc erunt,
Et præstat unus uniuersis
Ingenio, & pietate, & armis.
Angnoscit uni quid tibi debeat,
Qui sempiterno quippe poëmate
Ipsumq;, Crystallumq; uersu
Dixeris insolito disertus.
Verùm hocce uultus eius imaginem
In auro habebis, cuius amabili
E' pectore haud unquam ualebit
Et facies tua, amorq; labi.

Vati suo, à quo dona perennia
Accepit, is dat non paria hæc tibi
Memor, daturus plura, si ipse
Optime plura uoles Phaërne.

De Vincentio Portulaca I. C. & Equite clarißimo, Brixiano, Io. Baptistæ fil. ruri commorante, Ode XXIII.

QVò, plenus rapior mero
O Lenæe parens optime, pampino
Qui cingis uiridi comas?
Velox mente noua quos agor in specus?
Frondosos agor in specus
Dulces regis ubi Dauidis inclytus
Portulaca canit modos.
Illic nam meditans ipsius audiar
Virtutes, animos, decus,
Laudes, ingenium, factaq; fortia
Patrum, gestaq; lucidis
Astris inserere & concilio Iouis.
Hebrum prospiciens uti
Ex somnis properans mox stupet Eubyas,
Mirabor loca deuia,
Syluestresq; domos, & uacuum nemus.
Dicam insigne, nouumq; adhuc
Indictum ore alio continuò, & recens.
Nam paruum agmina nil canam,
Nil mortale loquar Bacche sequens tua.

Ad Carolum Vicecomitem, Senatorem lectiß. Christianam ad pietatem ipsum adhortans, Ode XXIIII.

SI quæris, pater urbium,
Subscribi statuis, Anguiger, æneis,
Aude iam sapere; incipe:
Facti dimidium, si incipis, est tibi.
Quod cæcum est animum tibi,
Quàm primum id propera demere diligens,
Festina facere & sacris
Quod rector Superûm legibus imperat.
Quid castis sine moribus
Leges Christicolis proficiunt suæ?
Qui magnum opprobrium putant
Esse hîc pauperiem, quid facere & pati
Non semper uideas eos?
Illam non fugiunt per tumidum mare,
Ignes, saxa, pericula,
Angues, quà Boreæ finitimum latus
In densam glaciem riget,
Quà subiecta calori aßiduo est humus:
Ipsi ut iugiter in polo
Cùm Diuis superis simus, inutile
Aurum temnere nolumus,
Gemmas, & lapides, materiam mali.
Hæc praui ergo cupidinis
Radentes elementa, asperioribus
Iam mentes studiis rogo

Formemus teneras, ut sapientia
Nos ipsa edocet, atque instituit, frui
Si æternis cupimus bonis.

Ad Stephanum Mariam Hugonium, Brixianum, Equitem generosum, Ode XXV.

ARmis fuisti nuper idoneus
Et militasti non sine gloria;
Nunc arma, defunctosq; bello
Hic gladios paries habebit.
Tentanda nunc sunt bella Cupidinis,
Atque horrida almæ prælia Cypriæ:
Tractanda barbitos, tibiq;
Culta poëmata nunc canenda.
Primò at bibendum est fortis Eques merum,
Et uina, mentis quæ tenebras fugent.
Atque ista præcipit Cupido,
Et Cytherea iubet decora.

Ad D. Mariam, Ode XXVI.

VIrgo supremi genitrix parentis,
Maximo cui par mulier nequaquam in
Orbe terrarum fuit ulla, regi
Gratior almo,
Numen in cuius grauidam ueniret
A' polis aluum superis; ut Heuæ
Ritè sarciret generis ruinas;

Patre

Patre iubente,
Quòd genus lapsum fuerat nefandum
Per scelus nostri genitoris, una
Tu sacrosanctæ haud uitiato es orta
Semine matris.
Integra ô uirgo precibus fatiga
Filium castis facilem, receptent
Templa uti nostram hanc animam sereni
Cærula Olympi.

Ad Carolum Vicecomitem Senatorem, Ode XXVII.

INgens quòd pietas tuis
Est uirtutibus alma egregijs comes,
Est supplex tibi inops homo
Pro se, coniugeq;, & quinque miserrimis
Natis; sum ipse etiam tibi
Supplex pro omnibus his, Pieris & mea.
Is confugit ad Hectora
Formosum prius; is misit eum statim
Ad me, cuius habes fidem
Verbis, Hector uti prædicat, omnibus,
Cui plus credere, quàm suo
Sermoni soleas Anguiger optime:
Quod ne fallat eos rogo,
Et mecum pietas te rogat, & fides,
Quin cum cœlicolis rogat
Is, te qui dedit, atque omnia dat bona.

Ad Carolum eundem, Ode XXVIII.

TVasq; Musas, armaq; posteri
Omnes loquentur, secula & omnia
Te prædicabunt ciuitatis
Istius & decus, atque lucem.
Sed Gallicani si studia optimi
Pia atque uirtutem assiduè meram
Eris secutus, prædicabunt
Cœlicolæ tua facta magni.
Pater triumphos & Superum chori
Nouos uidebunt, & noua carmina
Cantare senties potentum
Agmina sancta tibi Deorum.

Ad Carolum eundem, Ode XXIX.

HEros Insubrium Carole maxime,
Mortales alij sese homines gemant
Cretos, lætitijs ipse sed omnibus
Incede, atque Ioui magno age gratias:
Nostris carminibus, uersibus & tuis
Et Nilo, & Tyberino, atque Arari, & Tago
Istroq;, & Rhodano notus eris, quoad
Vndis se rapidis in mare conferent.
Non tam notus Otho, non Galeatius
Matthæusq; pater, natus & Actius,
Non tam Marcus erit, non is Episcopus,
Cuius pertimuit Roma potentiam,

Accitumq;

Accitumq; manere in patrio solo
Iußit, quàm sapiens Carolus Anguiger
Doctus, nobilis, atque armipotens erit
Illustrisq; meâ paginâ, & inclytus,
Is, quem fata uolent Pontificem bonum
Eße, & sollicito prospicere gregi.
Sed cymba ingenij litore paululum
In tuto mea stet: uela iterum dabo,
Cùm tu Phœbe uoles, & Polyhymnia.

Libri III carminum finis.

P. FRAN-

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS CARMINVM

LIBER QVARTVS.

Ad ciues Mediolanenses, à quibus deinde conuertitur ad Carolum Vicec. Senat.
Ode I.



Onsortes patriæ obsecro
Discordes mea gens accipite In- (subres,
Mecum qui colitis simul
Hoc natale solum, lumen ubi mi-
Suspexi, astraq; lucida; (cans
Si imbellem haud aquilæ progenerant auem,
Virtus si est in equis patrum, &
In tauris, similem strenuus & parit,
Eheu robur ubi uirûm
Et nerui Insubrium? prisca fides ubi?
Tanta & uis ubi Barnabæ,
Germani bonitas & Galeatii?
An gentem aspera agunt meam &
Fraterni interitus (culpa grauis) scelus,
Vt Marci innocui cruor
Venturis sacer hæc in sola posteris
Terræ fluxit hiantia?
Vel nostrum impietas dedecorat genus?

Ciuis

Ciuis perniciem in suûm hic
Incumbit malus en, Carole, ciuium:
Quare maximus exteris
Seruire hos uoluit principibus pater,
Vt nequam genus & malum, ut
Natos degeneres, & populum impium.
Vno in te pietas mera,
Et rectum, atque fides, relligio & patrum, &
Virtus, robur & institum,
Recti & cultus, eorum & sapientia.
Quò tu dignus enim tuûm
Maiorum auspicijs nos regere unus es.
Quæ in te miror ego, ad polos
Omnis laudibus hinc posteritas feret.

De D Sebastiani cruciatu ad Carolum eundem, Ode II.

Ictibus quòd non perijsse dixi
Hunc sagittarum, mea quem secundi
Vltimo cantu cecinit libelli
Barbitos, ipse
Quo rogas telo cecidit; canemus
Anguiger dulcis tibi. Magnus egit
Hic crebris Heros animam gementem
Fustibus ictus.
Marcus & frater pietatis ergò,
Et Dei cultus tenebantur atro
Carcere inclusi: ueniunt maritæ, &

Mater ad illos,
Et parens æger: lacrimosa coniux
Pignora ostentat, queriturq; fatum
Proprium mater, genitorq; pugnis
Pectora lædit.
Fletibus, luctu, prece molliuntur
Nobiles multa iuuenes repente:
Quod uidens fleuitq; Sebastianus,
Et dedit ista;
Ecquid æternis, iuuenes, caduca
Ista præfertis? lacrimæ parentum, &
Coniugum non uos retrahant ab almi
Regis amore,
Qui quidem uestra atque mea est corona;
Qui dabit nobis bona sempiterna:
Diceret qui dum sapiens uir ille
Talia, Zoë
Muta quæ denos fuerat per annos
Pulchra custodi, qui aderat, Quiritum
Carceris, gaudens nimium cucurrit
Fœmina ad ipsum:
Qui polum spectans, Pater, inquit, alme,
Sacra qui montis iuga amas Sionis,
Hi q; cui septem placuere colles
Omnipotenti,
Qui loqui quondam facilis dedisti
Muto Ioannis genitori, & isti
Da tuas, CHRISTIq; tui, precamur,
Dicere laudes.

Quæ ſtatim incepit, Deus unus eſt is,
Quem canit cunctis melior uir iſte,
Cœlites quem nos ſociare multos
Vidimus: ergo
Protinus lymphis homines lauemur
O' minus puri, iubet ut propago
Vnica æterni Superûm parentis,
Quem colo ſolum.
Atque aquis caſtus ſubitò ſacerdos
Diligens omnes Polycarpus illos
Diluit ſacris. pater ipſe Marci
Sanus abiuit;
Antè torquebat miſerum podagra.
Abnuunt iuſſi tenebroſo abire
Carcere, at malunt iuuenes acerbam oc-
cumbere mortem.
His at acceptis ferus Imperator
Mandat hunc cædi Ducibus ſagitta.
Nocte ſed Lucina uenitq́;, telum &
Extrahit omne.
Hunc domum transfert, medicos uocatq́;.
Is reuiuiſcit, rabidum & tyrannum
Audiens urbem reuenire, fert ſe
Obuius illi:
Increpans uerbisq́;, uices ſuperbas
Tartara ad dicit nigra eum manere
Sanguine effuſo toties piorum.
Rex furit amens.
Imperat duris ſubitò loquentem

Fustibus cædi, quoad is supremum
Spiritum exhalet, sua dehinc cloacis
Condere membra.
Diuus à dura nece nocte dicit
Romulæ matri; Sepeli me honesto
In loco, ut merces tibi patre multa
Defluat æquo.
Hæc uia ò uitæ sapiens beatæ
Anguiger. mirare & bonos ita omnes
Negligit, cœlo pater ipse Diuûm
Quos beat alto.

Idem Carolus inducitur respondens, Ode III.

Quo tractauit eum modo,
Qui certè melior, sanctior omnibus,
CHRISTO teste uiris fuit,
Quos hîc terra dedit Dædala condito à
Mundo & rege tulit fero
Extingui, fieret quò sat adulteræ.
Huic dicebat enim; Improbum
O rex iungere amorem haud licet impotens
Cum fratris tibi coniuge.
Si pœnas homini perpetuas DEVS
Mutat (quæ pietas sua est)
Hîc languore breui, quisque hilaris patri
Grates magno agat optimus.
Augustinus enim CHRISTO ita supplicat,
Me, Rex, ut libet, hîc seca,

Hic

Hic ure, ut tuus ad secula particeps
Sim per te ipse perennia.
Sed quem sacrilegus perdidit impiè
Rex, quo urbis miserum is modo
Prætorem instituit, dicere te uelim.

Ad Carolum eundem, de D. Chromatio, Tyburtioq; fil. Ode IIII.

CV'm prætor æger forte Chromatius
Gnatusq; Tranquillum acciperet suum
Marcelliani omnino patrem
Conualuisse, rogauit illum,
Quisnam podagram oro in Babylonias
Abegit oras, optime uir, tibi?
Sebastianus, inquit, Heros.
Continuò, pueri, aduocetur.
Venit libenter. Strenue dux rogo,
Vti misertus mi quoque consulas.
Vt CHRISTVS almus imperauit
Prolue te quoque aquis, ut iste:
Et conualesces, crede mihi, illico;
Effringe Diuos sed prius aureos.
Hac lege permittam, Chromati
Filius inquit, ut ipse pœnas
Des morte nobis, si Superos ubi
Nostras profana perdideris manu
Non detur infirmo parenti,
Quod recipis subitò futurum.

Respondit

Respondit Heros; Conditio placet.
Idola fracta. Prætor & exilit
Sanus grabato, sacra & unda
Proluitur celer, atque natus,
Prudens, & omnes penè domestici;
CHRISTVM fatentur numen: hero à pio
Daturq; libertas IESVM
Seruitio facilem canenti.
Ad regis aurem hæc perueniunt feri,
Necem minatur moxq; Chromatio,
Tyburtio atque liberali,
Omnibus & famulis acerbam.
Cuncti extra ephebum numine cœlitum
Afflatum ab urbe profugiunt procul,
Campaniæ in syluis latentq; ob
Exilium graue lacrimantes.
Gregem bonorum continuò suos
Tyrannus amens imperat insequi:
Igni, fame extincti, atque ferro,
Supplicijs uarijsq; cuncti.
Tyburtiusq; ipse inuigilat choris
Caij in sacrata Pontificis domo;
Successor optimi parentis
Et Fabianus eum peremit.
Sicq; & fruuntur perpetua boni
Vita Deorum & Tybridis aureo
Ab amne, septem collibusq; ad
Perueniunt bona sempiterna.

Ad Theodorum Tersagum, Mediolanen. Hieronymi causidici fil. Ode V.

Compar nate bono uir melior patre
Ecquando Theodore ad Tyberim optime
Ecquando ibimus, & Cæsarem ubi Maro,
Et dixit Venerem Albius,
Vnà Pieridas sic meditabimur
Dulces, ut cupio? manè die integro
Sicci dicimus, & dicimus uuidi,
Cùm Sol Oceano subest.
Voti me facies tu, puto, compotem;
Vt soli tibi, cui plurima, debeam
Prorsus cuncta: animæ dimidium huius, &
Tu spes unica Publij.
Nascentes placido lumine Musa nos
Si uidit, fluuiusq; & nemorum comæ
Spissæ Romulea ad mœnia Horatij
Fingent carmine nobiles.
Nil nostrum ingenium non faciet, pio
Nos ipse omnipotens numine Iuppiter
Defenditq;, fugax curaq; per nemus
Nos Phœbo expedit auspice:
Nil mortale mouet quòd Theodore nos,
Verùm quod Stygijs fluctibus eripit,
Quod cœlo beat, & quod uetat emori,
Musæ, fama, perennitas.
Rex Deli, Hesperijs ipsi eritis bonis
Noti post cineres hercule, uestraq;

Seros inter, ait, nomina posteros
Vestra urbs perpetuò canet.

In filij DEI, *salutis nostræ, ascensu ad cœlum,*
Ode VI.

AD *polos altos hodie redemptor*
Scandit humani generis triumphans:
Cœlites læti uenientem adorant,
Carmina dicunt,
Buccinas inflant. comites sequuntur,
Qui reuixerunt simul, ad parentis
Ora supremi properantem in aulam
Agmine denso,
Adamus consorsq́; tori, bonusq́;
Abel, Abramusq́; & Isacus hæres,
Ipse Iosephusq́;, Iacobus, ingens
Vitisatorq́;,
Qui Noës dictus fuit, & poëta
Personans Dauid cithara, integræq́;
Annæ; & Abdias pius, & Micheas,
Isaiasq́;;
Post Ioannes, genitorq́;, sancta
Et parens regem comitantur almum,
Et dierectus, sociusq́; pœnæ
Atque triumphi.
Alites diuæ sociant euntes:
Cœlites umbræ tenues stupentq́;, &
Nostra mirantur reparata habere

Corpora

Corpora cœlum.
Gaudeat tellus, ſpacioſum & æquor:
Gaudia, ô ciues, agitemus & nos,
Tanta promiſit quibus & recepit
Munera CHRISTVS.

In feſto die, quem eccleſiaſtici Pentecoſten appellant, Ode VII.

Virginis & magnum ſummi patris incrementũ
CHRISTE ſaluber ades,
Cuius natura à cunctis ſeiuncta periclis,
Omnibus atque malis,
Indiga non hominum, non cura tangitur ulla,
Atque dolore graui,
Noſtros quæ exuperat ſenſus, & mentis acumen
Suffugit omnẽ; tuo
Numine nos affla, promiſſo munere donans,
Pro bonitate tua.
Cœleſtem ut uitam in terris ducamus, & uni
Cuncta dicare tibi
Sic ſtudeamus, uti nobis ſit ſola uoluptas
Te celebrare choris,
Laudibus efferre & tua tollere numina Olympo.
Vt ſine Sole nihil
Dædala fert tellus, oriundi ſemine cœli
Nos ſine luce tua
Perpetuò ſteriles erimus ſic nocteq; cæca
Inq; nigris tenebris

Aeuum degemus, summasq; emergere nostrum
 Nemo ad opes poterit.
Lux aduerte ergo puros huc maxima uultus,
 Et miserere tuûm.
Candida nam rosei mortales lumina Solis
 Non sine Sole uident.

De cælatoribus & pictoribus, ad Carolum Vicec. Senat. Ode VIII.

Non tam qui liquidis magne coloribus
Heros te posuit, Tretius optimus
Et spirantia qui hæc æra tibi edidit,
In queis effigies nobilis est tua,
Quàm uirtus, fauor, & lingua potentium
Te Vatum eripient tartareis aquis,
Cœli interq; ferent signa micantia,
Quà Perseus radiat fortis, & Hercules.
An sic mansit opus Parrhasii aut Scopæ,
Musa ut Mæonidæ, Vergilij, Albij?
Illi nam pluuiæ, uentus & impotens
Et subducit honorem ignis & imber &
Annorum series innumerabilis;
Hanc non fulmina, non & fuga temporum,
Sæuus non Aquilo diruere est potis;
Sed qualis radians Oceano, ut uides,
Titan usque redit pulchrior Indico,
Quæ magnum Anguigerum Musa uetat mori,
Nigra stat sine ei morte suum decus:

Sic

Sic is, cuius habes nomen amabile,
Patris summi epulis Carolus interest;
Sic inuictus Otho, frater & impiger
Cœli inter radiant sidera candida;
Sic fratres Helenæ lucida corpora
Ducunt uota bonos nauitæ ad exitus.

Ad Andream Huraltum, Meßium, Regij ad Venetos legati fratrem, Ode IX.

HVralte, cultor non Iouis infrequens
Vnquam fuisti, qui ædibus in sacris
Moraris, ad meridiem usque,
Thespiadas, Lyciumq; Diuum
Oblitus, olim qui placido occidens
Te, ut sæpe dixti, lumine uiderit,
Cùm Mars cruentus iam quadrigas
Fluctibus Oceani lauaret,
Magni serenus cùm mediam poli
Partem teneret Iuppiter, & Venus
Decora Solem post ueniret,
Mercurio comitata puro.
Cultus Deorum nam placet admodum,
Placent Camœnæ non minus & mihi:
Arridet olim Andreæ utrunque;
At mediocriter ipse cuncta.
Tu nempe Musas uel nimium canis
Phœbumq;, formosam atque puellulam,
Te cuius ignis sic adurit,

Viuere uti nequeas sine illa:
Summum parentem uel nimium colis,
Qui nos trisulco fulmine territat:
Diuini Aristoclis magister,
Ne quid, ait, nimis ille magnus.

Ad seipsum, Ode X.

O Demens anima, ô stultitia mens mea stultior,
Insperata tuæ cùm ueniet pœna superbiæ,
Et, quod non procul est, astiterint fata supra caput,
Atque hîc destituens omnia quæ diligis admodum
Oblita atque fidem & relligionem & sapientiam,
Demigrabis eò sola gemens, unde homo non redit
Vnquam, cæca domusq; & tenebræ sunt ubi, lugubris
Dices heu quoties, temnere te ut numina uideris;
Cur uiuenti eadem haud mens fuit hæc, quæ mihi mortuæ est?
Vel cur his animis incolumes non redeunt dies?
CHRISTI *fac igitur maximi adores sacra mystica,*
Et te iam scelerum collacrimantem pigeat tuûm.

In die anniuersario, quem corporis CHRISTI *festum uocant ecclesiastici,* Ode XI.

Filij donum patris ô supremi
Dulceq;, & signum memoris, leuamen
Omnibus nobis grauium laborum,

Exiliiq;

Exilijq́;

Sit suis almus DEVS ille præsens,
Qui cruci duræ tulit ut bidens uel
Agnus affigi, pater ut nefando
Parceret orbi,
Qui dedit pœnas sceleris suorum,
Qui student recto pietati, & æquo,
Vt pius uindex iubet, in polo qui
Nunc sedet alto.
Panis ô dulcis Superûm, misellis
Qui polo nobis pluis à sereno,
Suauis heremo saturans edentes
Panis Hebræos,
In Palestinam populos euntes,
Panis ad regnum sine quo receptum
Peruenit nemo, sine quo perimus
Protinus omnes.
Gaudiumq́;, & spes, columenq́; dulce,
Vitaq́; humani generis salusq́;,
Supplices & nos pie tandem IESV
Respice quæso:
Quæso nobiscum maneas, tuis Sol
Irriga & mentem radijs benignè
Tota quæ prorsus tenebrosa obitq́;
Te sine & alget,
Te sine haud fructus parit ulla tellus,
Te sine & cuncti steriles agelli,
Te sine ad frugem minimè mouetur
Insita uirtus;

Te ſine & migrans patrium uiator
In ſolum haud callem uidet, ad beatos
Quà Lares tutus ueniatq́;, & hoſtem
Vitet inermis;
Te ſine incurrunt homines cruenti
Hoſtis in fraudem, pereuntq́;, quòd te
Non reclamantem uoluere regem
Semitæ habere;
Te ſine hîc uerum minime uidet mens,
Degit in uitæ tenebris ſupina,
Eſt ſuæ uecors inimica uitæ,
Atque ſaluti;
Te ſine hîc mentis ualet eſſe compos
Nemo; naturæ uitio perimus,
Tu niſi occurras properè Deorum
Maxime rector.
Mentibus noſtris medearis ergo
Vnus ægrotis medicus ſalubris;
Supplices te unum miſeris precamur
Conſule nobis;
Vt ſacrum panemq́;, merumq́; dulce
Rite guſtantes ueniamus aulam ad
Aetheris, regnas ubi Diuus unus,
Tergeminusq́;.

In

In D. Nazarij, Celsiq; die natali, Ode XII.

QVi castæ sobolem forte Valeriæ
Visisti ueniens urbe Quiritum
In magnum Insubrium quod colo hoc oppidum,
Nazari pie, te canam.
Nec te præteream Celse silentio,
Quem sic instituit doctor amabilem
Castus relligione, ut puer hic minus
Formidaueris emori,
Cùm sæui imperio Principis ad necem
Crudeli intrepidus ductus es horridam.
Cùm doctore tuo. floscule Galliæ
Salue gentis, amans Deos.
O' saluete uiri magnanimi, & patris
Almi numina sic magnà precamini
Pro nobis, bona ut hæc uana, fugacia
Temnentes, studia omnia
Mentem, commoda, opes, diuitias, modos,
Cantus, & Citharam, cunctaq; carmina
Consecremus ei nostra: potentium ut
Simus participes Deûm.

Ad Carolum Vicec. Senat. Ode XIII.

MAiorum generatim, Anguiger optime,
Naturam referunt omnia secula:
Dilexere Petrarcham
Patres, nos ut amas, tui.

Concordes etenim quid Galeatium &
Germanum memorem, huc qui uenientem cum
Excepere poëtam
Conuiuam egregium sibi?
Donabant Ducibus maxima, ut ipse nunc,
Reginis etiam & munera Regibus.
Scripsit Tretius ad me
Cælator, tua maximæ
Reginæ Mariæ dona Britanniæ,
Coram magnanimo rege Philippo ei
Comportata, fuisse
Quàm gratissima munera.
At nunc Pontifici quàm placeant equi
Summo Thraciæ alumni, atque alia omnia,
Quæ largitus es, ipsa
Tellus Hesperiæ canit.
Hæc communia sunt cum patribus tibi,
Naturæ integritas, munificentia;
At uirtutibus, armis,
Præstas eloquioq; eis.

Ad Hieronymum Hugonium Iuris utriusque peritiss. Brixianum, Bonifacij fil. de mirabili quodam speculo, Ode XIIII.

QVòd quæris à me de speculo, bone
Quod Hugo Musa diximus auspice:
Senes rubenti sustinere
Ex lapide hoc uideas leones;

Mirabilisq;

Mirabilisq; est machina, factaq; ex
Crystallo aquosa, sex latera æqua habens
Circùm: atque Rex sedens sub arcu
Occupat ipse Philippus unum,
Terrarum & orbem dextera continet
Illius; & Sphinx, & iuuenis potens
Armis in altero sequenti
Tuq; togate senex uideris:
Et templa surgunt aurea proximo;
Et castra quarto fortia dexteras
Miscere cernuntur, superbam
Et uolitare super furentes
Victoriam enses; spicea Pax gerens
Stat serta quinto; Fama canens tuba
Volare sexto tendit: atque
Signa super uideas locata
Sex inclytorum hîc ordine Principum,
Patris Philippiq;, & Fabij, & Numæ,
Et Africani, Octauijq;, &
Eius imago patris benigna.
Et pars rotunda est signa super sita,
Et quinque totam uidimus in domos
Diuisam; in una dat potenti
Regia sceptra pater Philippo;
Captum stat euictum inq; alia oppidum,
Migrant coloni ex hoc ueteres; eis
Belgæq; succedunt, fero igni
Gallia queis dederat penates;
Et in sequenti magna Britannia

Sedentem

Sedentem honorat Pontificem gemens;
Victoriam atque in quarta ouantis
Aspicias geminam Philippi,
Ducesq; captos illico & oppidum
A' rege uictum; claudit in ultima
Portasq; Belli idem, atque læto
Aurea secula condit orbi.
Teres columna & cernitur insuper;
Illam & canentes undique milites,
Iò triumphe, io triumphe,
Circumeunt numero carentes:
Præire multos hic equites, uiros
Signa & ferentes, rapta trophœaq;
Ab hoste; Galli insigne nam
Principis hic uideas gerentem;
Trium oppidorum tela cruentaq; &
Idola & hastas & gladios Duces
Quàm plurimi ostentant, aceruum
Aeris, & arma fera, atque parmas.
Pòst consequuntur raucaq; cornua
Cauas & inflans militia hos tubas;
Duces catenatos præire
Laurigerum aspicias Philippum,
Belgæ sequuntur quem meritum, & manu
Lauros tenentes innumeri Itali &
Iberi, ouantesq; & canentes
Carmina non pede facta certo.
Robur columnæ sustinet æquoris
Globumq; terræ; quæ speculum est super

Duplexq; , pyramis , specusq; ,
Atque senex ubi inest , dracoq; ,
Natura cunctorum & genitrix pia,
Aeternitatem mehercule quæ sonent.
Sed uincula auri ornantis ipsa hæc
Prætereo , breuitatis ergò .

De eodem speculo , ad Philippum regem Max.
Ode XV.

VUltu sereno hæc Ambrosii tui
Cape oro , Rex regum edite Carolo
Forti Imperatore ô Philippe ,
Munera , signa animi fidelis :
Crystallo in ista ; cum facie tuam
Mentem , hîc perennis qua sapientius
Rotans ab Indis te ad Britannos
Sol nihil esse uidet , uidebis.
Senos Leones prætereas , suo
Qui sustinent hanc robore machinam :
Nam digniora sunt uidenda , hîc
Quæ pater ignipotens locauit :
Felicitatis scilicet integræ ,
Prudentiæq; hîc eximiæ tuæ
Et fortitudinis , domumq;
Relligionis adhæc uidebis ;
Victoriæ almæ , Pacis item locum &
Famæ coronam , multaq; lumina ,
Vultumq; Caroli parentis ,

Et Fabium atque Numam uidebis,
Et Africanum Cæsaris & genus
Octauium, eiusq; os, animum suis
Qui præter inuictum Catonis
Cætera cuncta, subegit armis;
Magno uidebis prætereà patri
Tuo quid ô rex optime debeas,
Qui sceptra dat tibi merenti,
Cùm pietate ea & æquitate
Sis, des ut armorum oppida capta ui
Habenda Belgis, Gallica queis phalanx
Domos adusserat, labores
Et lacrimas miseratus horum,
Qui Iulio olim rege Quiritium
Vitæ à tenebris pectora cæca tot
Ad ueritatis lucem honesta
Coniuge cum Maria uocâris;
Qui claudis, unam Pacis amans domum,
Belli furorem protinus impium
Victoria in templum potitus,
Prospiciens populis tibiq;;
Quem miles armis & spolijs præit,
Duces catenati hostium & inclyti, &
Belgæ triumphantem sequuntur,
Lætitiamq; agitans Iberus:
Totum uidebis terræ etiam globum,
Quem nempe uates auspiciis tuis,
Et astra deberi, polorum
Sidereiq; canunt meatus;

Adhæc uidebis denique, magne Rex,
Vita à fugaci quam recipit DEVS
Perennitatem æternus ipse, &
Astra tuis meritis amica.

Libri quarti carminum finis.

P. Francisci Spinulæ

MEDIOLANENSIS

EPODON LIBER,

QVO Q. HORATII FLACCI carminum uarietatem imitatur.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS, Ex *officina stellæ* Iordani Zileti.

M D LXIII.

Ludouici Nouelli Veneti, de Spinulæ Iambis, disticon,


Archilocum proprio rabies armauit Iambo:
At dicat hunc magnis Spinula, seq; Deis.



AD IOANNEM
Huraltum Boistallerium, Caroli IX Gallorum Regis & consiliarium, libellorumque supplicum in regia magistrum, & ad Venetorum Rempublicam oratorem

S. P. D.

P. Franciscus Spinula Mediolanensis.



Væ religionis sapientiæque species & pulchritudo non tantùm nos omneis maximam in admirationem traducit, sed eam ipsi Gallorum reges, quorum in aula & educatus & eruditus es, etiam atque etiam adamarunt. Ab Henrico enim fortissimo legatus ad Sultanum Solimanum Turcarum Imperatorem sum-

mis de rebus missus fuisti . qua in legatione incredibilem tibi ho- norem eundem Solimanum & By zantios omneis detulisse, mihi sa- ne Alexander Baldus Florenti- nus, Isabellæ Pannoniæ reginæ legatus, comes tuus, non semel enarrauit. Francisci deinde re- gis iussu legatus, pacis nuncius, in Liguriam ad Corsicam insulam Genuensibus reddendam uenisti, cùm principes uniuersi & nobiles obuiam prodeuntes te ita mœni- bus acceperunt, ut anteà neque li- beralius, neque honorificentius le- gatus alter post hominum memo- riam ab iisdem tractatus fuerit. Carolus denique nonus, Franci- sci extincti frater germanus, te negociorum suorum causa hoc

triennium principes ad Venetos legauit ; ubi tua arguta ſedulitas, & munificentia ſingularis, & bonarum literarum, præſertim Græcarum ſtudia, quibus maiorem in modum te cum Andrea fratre ob lectas, in ore omnium ſunt mortalium. Quamobrem, ut primum hanc in urbem emigraui, me ſtatim tuam in familiaritatem inſinuaui. quid fructus ex ea ceperim, quanti me feceris ſemper & facias, ſuperuacaneum uidetur in præſentia ſcribere. Eapropter non potui facere, quin tuo nomini clariſſimo, quod quidem ante me diligo, hoc exiguum opus conſecrarem. In quo uidelicet faciendo quæ obſeruauerim, quàm breuiſſimè fieri poterit, ea expli-

cabo. Primùm igitur omnium nobis Iambi ſenarii, qui Hipponactius uocatur, ſedem tertiam uoce ſolummodo monoſyllaba licet abſoluere. ut Horat.

Beatus ille, qui procul negociis,
Solutus omni fœnore.

Id quod non ſolùm non à neotericis ſcriptoribus, ſed ne à Flaminio quidem eſt animaduerſum, ut exempli cauſa illud Pſalmi tertii ab eo male diſpoſitum eſt;

Solus colentibus piè numen tuum
Aeterna donas gaudia.

bene autem diſpoſuiſſet, ſi uoces ita collocaſſet;

Solus piè colentibus numen tuum
Aeterna donas gaudia.

Neque uerò illud Catulli mendum nos moueat,

Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ:

quod ita puto corrigendum,

Hunc Galliæ acres, hunc timent Britanniæ.

Quòd autem Horatius dixit;

Libet iacere modò sub antiqua ilice,

quotiescunque tribracho in tertia sede uti uoluerimus, si utraque syllaba ita grauetur, dissyllaba uoce eodem pacto nobis item licebit tertiam sedem absoluere. Deinde Iambi Archilochii hypercatalectici secunda sedes eadem ratione est disponenda; ut Horatius primi ode IX libri,

Appone, nec dulces amores.

At Cerutus primi ode quinta libri male ita disposuit,

Fretus tua benignitate.

Verùm, quoniam in epistola ad Cyrillum, hæc duo & Horatium semper & poëtas Græcos constanter multis exemplis seruasse ostendimus, eaq; altera item ratione con

firmauimus,ad alia ſtatim appro-
perabimus. Itaque quod in Iambo illo ſenario, id etiam in Iambo Archilochio catalectico obſeruauimus: ut II Horat. XVII,

Mea renidet in domo lacunar.

Etenim ſi ita dixiſſet,

Renidet in domo mea lacunar,

ideò carminis ratio minimè ſtaret, quòd uoce diſſyllaba tertiam ſedem abſoluiſſet.

Atque idem etiam obſeruauimus in eo carminis genere, quod uſurpauit Catullus, ſpondeum ſede à quinta in ultimam transferens, ut Ode VIII,

Miſer Catulle deſinas ineptire,
Cùm uentitabas, quò puellula
Ducebat.

Sic porrò uerſus Choriambicus Aſclepiadeus eſt componendus,

ut ſecunda ſedes cum uoce ſemper ſit abſoluenda, ut I Horat. I,

Mæcenas atauis edite regibus.

In Choriambico autem Alcaico ſic eandem legem teneamus, ut Choriambus medius, quo uerſus augetur, cum uoce & incipiat & ferè deſinat, ut I Horat. XI,

Tu ne quæſieris ſcire (nefas) quē mihi, quem tibi.

Diximus uerò ferè deſinat, quòd ſemel tantùm dixerit I Horat. XVIII,

Arcaniq; fides prodiga perlucidior uitro.

Catullus item ait,

Si tu oblitus es, at Dij meminerunt, meminit fides;

At, quòd licenter eodem in poëmate dixit,

Nec facta impia fallacum hominum cœlicolis placent,

id uitandum eò uſquequaque cenſeo, quòd neq; hunc Choriambi-

cum, neq; alios Horatius unquam ita composuit, sed, quod præscripsimus, id ubique in hoc carminum genere obseruauit. Dactylicum præterea Archilochium ita Horatius disposuit, ut quamuis id carminis genus primò ex quatuor primis pedibus uel dactylis uel spondeis, uti carmen Vergilianum, deinde ex tribus trochæis constet, tamen perpetuò & quartam sedem cum uoce absoluit, & in ea solum modo dactylum collocauit: ut in illa primi libri ode IIII,

Soluitur acris hyems grata uice ueris & Fauoni.

Ionicus postremò ita est disponendus, ut semper trimetri prima quidem tantummodo, sed tetrametri & prima & secunda sedes cum

uoce perficiatur, ficut III Horat. XII,

Miserarum est neque amori dare ludum,
Neque dulci mala uino lauere, aut exanimari metuentes patruæ uerbera linguæ.

Sed plura de iis aliâs. nunc ad institutum redeamus. Secundum huius libri poëma III Nonas Iunii, dum se frangeret calor meridianus, in Leonardi Mocenici Equitis clariss. ædibus scripsi. Ista enim sedes umbrifera, cui præclarus Adriani maris prospectus patet, & amœnus prætereà hortulus, ubi de Caroli regis fortuna soliciti hilarè tamen prandimus, fecerunt, ut ego, ab arte musica penè auersus, intermissa studia reuocarem. Nam uti Gallorum naturæ liberalitas omnium hominum solet expectationem uincere,

ita ipſe his ſtudui uerſibus æter‑num tuæ uirtutis præconium man dare. Cætera uerò poëmata, di‑ſtinctè & ordinatè diſpoſita tum Mediolani & Brixiæ, tum Vene‑tiis & Patauii maiori ex parte ad amicos compoſui. Ad ſummam, qualecunque meum hoc eſt mu‑nus, ut ſummi in te amoris mei ſi‑gnum certisſimum, id benignè pro tua humanitate accipias ue‑lim. Vale. Venetiis Idib. Iunii.

CIↃ IↃ LXII.

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS

EPODON LIBER.

Ad Illustriss. ac Mag. D. D. Ioannem Comitem in Tarnou, & Voignitiensem præfectum, & Sendomiriensem Ducem, &c. Ode I.



OTIVS ô *Germaniæ fortissime*
Heros Ioannes Ducũ,
De liberalitate cuius, gloria
Magna, atque factis bellicis,
Victorijsq; tota & ista natio, &
Gentes loquuntur exteræ,
Arma & trophœa & prælia æquabis patris,
Exercitus Polloniæ
Qui fortis Imperator inter sidera
Ad Persei sedem emicat.
Nam te pharetra à Cynthiæ aduocat saga,
Tubas, equos Tritonia:
Vti piorum ciuitati strenuus
Statim cadenti opem feras.
Illam ecce inermem deserunt negocia
Versi ad sua omnes Principes.

Illum

Illam ecce coniuratio intestináq;

Et barbari inuadunt feri.

Vir te precanti, quæso, succurre ô potens,

Succurre: ut almus rex Deûm

Te muneret; nostra ut Camœna, quæ dicat

Stylum hunc tibi, te concinat.

Hâc templa peruenere ad alta cœlitum

Liber, Quirinus, Hercules.

Ad Ioannem Huraltum Boistallerium, Caroli IX Gallorum regis & consiliarium & ad Venetos legatum, Ode II.

QVando reposta uina festas ad dapes

Victore lætus Carolo

Sonante formosissimo mistum choro

Tam dulce carmen tibijs?

Vt nuper, ipse summus, ac cùm te prope

Legati & hîc & hîc, Ducis

Subaudiæ Lambertus ornatissimus,

Faletus atque Principis

Ferrariæ, qui uate certat uersibus

Cum Mantuano, accumberent,

Cùm frater infra hos Messius egóq;, & Ligur,

Valetáq; infra nos forent,

Aruernus & Budæus ora lucidum

Cùm uerterent ad Arcada;

Quà pontus ingens Adriæ per ianuam

Latè patentem & cernitur

Mergaria, atque Mestre, & orbis Taruisi
Montes, & urbs, ubi iacet
Cum Malita nutrice Fusca illa inclyta,
Et Munriaum, insignia
Et Michaëlis templa, Maiorbi & domus,
Et Nicolai limina,
Et Buriani tecta, & amplæ uillulæ,
Et alta Christophori atria, &
Castella bina, magnam ad urbem lyntribus
Hanc nauita inter quæ uolat.
Insana quando concitatio tuæ
Furorq; gentis desinet
Martem sequi, & parebit imperio sui
Regis ? polo cui sidera
Sic commoda esse cerno, magni ut Caroli
Virtutis atque nominis
Hæres futurus cum throno sit, pluribus
In regno ouans uictorijs;
Io triumphe læta cùm phalanx canet,
Morare currus aureos:
Iò triumphe, nec parem bello Insubri·
Olim reportasti ducem.
Nam tum cruenti barbari hostes illius
Terra mariq; uicti erunt;
Tum punico lugubre mutabunt sagum,
Ventis ituri haud prosperis
Syrtes uel orbem ad illum, ubi densa sinus
Telluris umbra absconditur.
Capaciora sed parari pocula

Virentis

Virentis horti in limite
Iubeto, frater conuocet amicos; uti
Curas educes, pallidos
Rerum metusq́; Caroli dulcißimo
Huraltę soluamus mero.

Ad Carolum Vicecomitem, Mediolanensium ad Philippum Regem legatum,
Ode III.

ALumne Martis, atque Cynthij, tuæ
Lumenq́; patriæ & decus,
Regum potentum sanguis, à Petro edite
Germano Othonis, principes
Qui Turrianos uicit, ereptum & dedit
Sceptrum tuis maioribus;
Quid me timentem ab hoste lapidi hinc euolans
Committis isti Carole?
Quid me quotannis, absque te cui non datur
A' numine esse, deseris?
Quid ad Philippum regem adhuc, quid te ad feros
Obsecro Iberos corripis?
Qualis, decori Apollinis cùm fax redit
Manes ad ipsos, Dædala
Tellus, & omnis partus eius ingemit,
Mea Musa, Brixia quam uocat,
Cùm tu recedis alma lux à patrio
Solo, uicem dolet suam.
E' gente non hac ullus est te fortior,

Cœlestibusq; gratior:
E' gente nostra Delium nullus magè
Eiusq; diligit chorum.
Quapropter ipse doctum Agyieûs Græciam
Olim esse mentitam refert;
Quæ præparatam à se Coronam Carolo
Anguis feri supra caput
Prolem ad suam micantem Olympo, dixerit
Illuc tulisse Liberum;
Nullius esse cœlitum, aut mortalium,
Meritis tuis deberi eam,
Quam gens Coronam & horridam Anguem omnis
Vt stemma nobile, hîc gerit. (tua,
Inter Booten, Herculemq; lucida
Signa ergo erit sedes tua.
En os hians iam contrahit Serpens tibi
Ad Virginis pedes, poli
Iustaq; parte plus relinquit, abstinet
En dexteram Alcides manum.
Illic micabis inter astra, sidus &
Oriere amicum Insubribus;
Illinc uidebis perpetim cunabula
Tua hæc, domosq; patrias.

Ad Ambrosium, cognomento Barbauaram, Theologum Mediolanensem, Dominicanum, à Cypri Archiepiscopo accersitum,

Ode IIII.

TAnto uocatus à uiro, nos deserens
Ibis furentem ad Adriam,
Antistitis paratus ad regnum comes
Felix adire Cypriæ,
Et cuncta religionis interpres Deûm
Obire sanctæ munia.
Quid ipse? tecum cui sodalis, nec sine
Te uiuere à fatis datur?
Vtrum'ne, quod nos edidit, colam hoc solum
Non dulce, ni tecum simul?
An te insidentem forti equo, pedes licet,
Mirandam ad urbem consequar;
Humana quam non condidit gens, at DEI,
Stantem marinis fluctibus.
Iapygi plena ut dabit cùm lintea
Vir Præsul ornatissimus,
Sim nauigationis & longæ tibi,
Illicq; non grauis comes:
Quò mensor & terræ & sali, qui circino &
Celeri rotundum animo polum
Percurro, litora, insulas, uastissimum
Ipsa & fretum acie metiar.
Roges, parentem an liquere annosam uelim
Pro te, calentem & Solibus

Alijs

Alijs Cypron migrare per tot æquoris
Discrimina, haud tibi utilis.
Matri soror non una consulet piæ,
Dum Barbauaræ inseruiam
Docto ipse, manes ad profundos quem sequar
Ducem, & per æquora omnia, &
Terras calore Solis exustas, Ceres
Quas non colit, per frigidam &
Sedem, niues quam contegunt albæ, malus
Et semper urget Iuppiter.
Non terret Amphitrite, ut alios, cærula,
Non monstra terrent me fera,
Non Adriani cæca uel sinus uada,
Non unda cœlum uerberans:
Quid? opto, pinu belluosa nauitis
Sulcantibus ponti æquora,
Fluctu oppida apparentia admirarier,
Et continentem, & insulas,
Meliten, & Issam, & Aulon, atque Amantiam,
Infamia & Ceraunia,
Arcesq; Phæacum, & Zacynthon, & Samen,
Vlissei & terram ipsius
Altricem, & Acritam, atque Cænen, Gnosia
Et regna, Cason, & Rhodon,
Et te Megista, quò Dione nauibus
Persæpe tendit à Cypro.
Ac Præsulis, tuæ atque certè non ero
Grauis carinæ sarcina,
Amico amicus utilis, potenti hero

 Seruusq;

Seruusq; non inutilis.
Vestrum laborem nam iuuabo diligens
In insula meo, horrida
Seu dicere arma, Cyprios'ue antistites
A Barnaba, seu me Deûm
Patri uelitis, ut mi in optatis fuit
Semper, ministrare optimo.
Ergo parentem & patriam, si deseris
Hæc regna, pro te deseram;
Et, si redire tempore huc nullo cupis,
Rediboo nunquam ad Insubres.

Ad Camillum Martinengum, Comitem illustriss. & I. C. de Stephani Marij Hugonii, Equitis clariss. Brixiani, die natali,

Ode V.

COmes Camille Principum ingens, plenus est
Mi Gnosio cadus mero,
Est pinguis hædus, & columbæ, & perdices;
Et ridet argento domus;
Et huc & illuc cursitant domestici,
Et cuncta festinat manus;
Aulæa figit & tabellas, spargit &
Flores humi, & condit cibos.
Flamæ tremunt, extremo & ignes uertice
Fumum rotantes sordidum.
Si grata cœna est Publii, iam copiam
Fastidiosam desere;

Iam te moræ eripe obsecro. Vt noris tamen
Queis aduocere gaudijs,
Audito: agendus est tibi Martis dies,
Qui findit hunc mensem, inclyti;
Dies mihi solennis iste, antiquior
Diebus est certè omnibus:
Marius Eques nam luce uir bone optima
Hac editus quondam fuit:
Qui Brixianæ est urbis heros inclytus,
Recto, & Camœnis deditus:
Qui lætus atque degit, & potens sui est,
Dixisse cui licet in diem,
Vixi: pater uel nube cras atra polum,
Vel Sole candido occupa.
Curis Eques felicitati edacibus
Iunctæ minus regum inuidet.
Sapiente dignum quicquid est, curat; minus
Est corpus absque pectore.
Virtutem ei supremus atque opes dedit,
Artem & fruendi Iuppiter,
Et cuncta, quæ nouere alumno olim pia
Dulci solet nutricula.
Cui debeo uniuersa; quem semper, mea
Si Musa quid potest, canam;
In urbe patria Anguiger prout Carolus,
Hic Brixiæ cauit mihi.

Ad Io. Brunorium Gambaram, Ode VI.

ETsi Cremonam me ire, Brunori optime,
Tibi placebat, ut citò
Meos redirem ad Insubres: ueni tamen
In ciuitatem Brixiæ;
Hinc auspicatò Bergomum me contuli ad
Hieronymum cognomine
Montem, integri Cornelii lectißimum
Antistitis Vicarium:
Altas qui in ædes ut sodalem me tuum
Charißimum accepit statim,
Et sic benignè, sicq; liberaliter
Tractauit, ut tu gratiam
Et ipse debeamus immortalem ei.
Tantam uiri sapientiam,
Modumq; sum miratus; in terris enim
Est Præsulum omnium optimus:
Nam non sibi uni se esse natum sentiens,
Ast & aliis, & gloriæ,
Nunquam ferè exit limina ædium, nisi
Id causa poscat publica:
Totum hìc diem usque conterit, nunc laudibus
Piè celebrandis Deûm
Patris supremi, ut tu facis, causis suûm
Nunc audiendis ciuium,
Lætißimo CHRISTI atque curando grege, &
Cauendo amicis, & suis,
Opem qui ad eius confugit, domestici

Dum

Dum pauperi omni dant cibos:
Cupido habendi immensa, iniquitas, scelus,
Discordia, & mendacium,
Mortalium fex omnis, impurissimi &
Scurræ sua domo exulant;
Quam ueritas, & incolit rectum, & soror
Sinceritas amabilis,
Propinquiorem Olympo uti sedem: edito hæc
In monte posita est ciuitas.
At fauste grex, gens atque felix, quà celer
Hic tantus excedens Pater
Tellure inerti & infima ad cœlum facit
Vestigia æternum ultima.

De Hieronymi Hugonij I. C. Brixiani, apophthegmate, Ode VII.

SIc Brixianitatis odit nescio
Quid Hugo, sæpe ut dixerit;
Plato solebat Dijs habere gratiam,
Quòd masculum, non fœminam,
Non barbarum, at Græcum, atque alumnum Socra-
Sibi dedissent esse: ego (tis
Contrà Deorum incuso prouidentiam,
Qui Brixianum me, minus
Romanum, & infantissimi Marci istius,
Non tanti alumnum Flamini,
Ac esse maluere priuatum, Ducem
Quàm diuitem, atque Principem.

Ad Hugonium eundem, Ode VIII.

MOrdear opprobrijs falsis, me candide compar
Robertus amens uellicet,
Taygeta & laceret cimex, & Bulla Lomati
Conuiua rodat perfidi,
Mutius obliquis oculis mea limet ineptus
Morsu & uenenet commoda:
Men' moueat isti, plures aliję, cathedras
Plorare condiscentium
Quos inter iubeo, numerum, consumere natos
Fruges, Lyæi & munera?
Hæc utinam laudet Patina, Sfondratus uterque,
Phaërnus, & Taëgius,
Tonsus, & Aonius: possum ambitione referre
Et te relegata, comes.
Nam nostra æternos pepererunt secula uates,
Queis & dedere Zoïlos
Inuidiam & comitem, scelerum quæ pectora lædit
Exestę mentes improbas;
Fex hominum maius tormentum haud inuenit illa,
Cui torua Erynnis it comes;
Quæ cæcas sedes, & Sole carentia tecta,
Nullię uento peruia, &
Auræ semper habet, nigro squallentia tabo,
Crudelis orta Cecrope;
Quæ caret igne, nigra caligine semper abundans,
Plenissima acri frigore,
Vipeream est carnem, uitiorum alimenta suorum;

In ore pallor insidet;
Toruà oculis spectat; macies in corpore toto est;
Rubigine & dens liuet; &
Pectus felle madet; lingua est suffusa uenenis;
Risum dolores huic mouent,
Innocui & pœnæ; uigilantibus excita curis
Sopore nunquam uincitur;
Interitus acie gaudet spectare cruenta,
Et fauštitate hominum gemit;
Denique causa suæ mortis, cruciatus, & angor,
Suumq; supplicium est sibi.
Oderunt monstrum hoc Superi, oderuntq; sorores
Tartareæ, & Orcus luridus.
Atque habet hoc hominum mentes nequißima mon-
Et impiorum pectora: (strum
Quæ diræ rabiem serpentis, sæuitiamq;
Figura in humana gerit.
Arcana hamatis præcordia sentibus implet,
Virus per ossa dißipat,
Vipereasq; comas abscindens unguibus, in cor
Sinusq; eorum coniicit.
Quos dixi, ergo hominum sint irrequieta malorum
Ora, atque carpant me inuida;
Inuida turba mihi uiuo quod detrahet, ingens
Extincto honos id duplici
Fœnore restituet; ueniet nam maius ab atro
In ora nomen funere.
Qualis Callimachus, Lucretius, atque Philetas,
Naso, Tibullus, & Maro,
Qualis

Qualis Mæonides, Flaccus; queis crescere sentis
Ad posteros opus suum,
Nunc mihi prouideo, monumento ne lapis istic
Mea ossa contempto indicet:
Vt me posteritas laudet, interq; poëtas
Vt Fama ponat Publium.

Ad Ioannem Tonsum I. C. de Vicarii Mediolanensis Archiepiscopi auaritia,
Ode IX.

TE somniaui nocte tota: nam tuis
Videbar esse in ædibus,
Isticq; delitere, auara cùm manus
Me ciuitate inquireret,
Fortis meum cohorteq; armata tuũm
Cùm tu caput defenderes,
Vim ui repellens; præda ne immiti forem
Lupo, atque uulpi callidæ.
Qui, Tonse, nundinatus est quæstum ad suum
Ius scribæ Aselli antistitis
Vicarij (Robertum ita hîc uocant) meam
Migrationem ægrè tulit.
Nam præter expectationem bolus est
Ereptus isti è faucibus.
Atque actum erat, Taëgius meæ nisi
Cauisset innocentiæ;
Sequi lucellum ut illi, adesse uatibus
Hic profitetur uir bonus.

Atqui esse magnum somniabat se Ducem
 Vesanus Andreas; sua
Quem Margareta & filijs lugentibus,
 Crasso optimo dixti, prius
Episcopo à furente ab alto inutilem
 Ad ima deiici loco,
Quàm tanta belluæ istius teterrimæ
 Totum fames uoret gregem.
Monstrum sedebat improbis placabile,
 Solum atque pusionibus,
Tonsi aure surda negligens dicta & preces
 Meas, & urbis totius.
Quem fortis obtruncare alumnus dum parat
 Paulus, meam dolens uicem,
Vix impetro, hunc ut esse supplicium sibi
 In morte continua sinat:
Compos sui uoti ut sacerdos ille sit,
 Qui secuit eius tibias.
Vitæ dies promitto cui treis, spondeo
 Quartum Orco inexorabili
Pecunia erepta & mihi ui, ciuibus
 Alijsq; per fas, & nefas.
Hunc, fortè magnam ut cùm per urbem Insubrium,
 Videret obuium Anguiger,
Cùm perget ire per tenebricosum iter,
 Vmbræ cauebunt obuiæ
Sphynga execrantes istam, ut auspicium malum
 Quæ uiderint ad tartara.
Sed nescio quis exaratam lamina

Phœbes

Phœbes tabellam in plumbea
Defodit illi clanculum Magus domi,
Quæ reddat impotentem eum,
Tyrannum & execrabilem: nosti soni, &
Vim Thessalorum carminum.
At mitte seruos obsecro omnia qui meo
Hæc nomine illi nuncient,
Non inuidere me sibi, diras suæ
Et coniugi precarier,
Patrem rogare cœlitumq;, multa in hac
Vt morte uiuat secula;
Ad inferos hinc, furiæ ubi manent eum
Vsque lacerandum, corruat,
Cùm Caroli ornatißimi uirtus micans;
Et clara Tonsi humanitas,
Illa ad Coronam & Anguem, Olorem ad candidum
Ardebit inter sidera. (hæc

Ad Hieronymum Monsilicum I. C. Brixianum, Sallustii fil. Ode X.

EX *quo donasti argentum Hieronyme in ora*
Mi liberalis patria;
Me tenuit bis sex ægrotum Brixia luces;
Stella & Leonis torrida, &
Cùm fureret Procyon; occultum ostenderet ignem
Cùm clarus Andromedes pater,
Aedibus in magnis Stephani præsignis Hugoni
Virtute, Dijs charißimi:

Sum

Sum modò Campati quicum in regione feraci;
Hincq; ex Calendis Brixiam
Ibimus, ac secum deinceps ero: mi sua in urbe
Patêre dixit omnia,
Hòc sibi facturum certè me gratius esse,
Quò secum ero diutius,
Acta me cuncti prohibebant, litus at Hugo
Mox me recepit in suum.
Sis memor intereà nostri, & uir caste fruaris
Vxore quàm dulcißima.

De Saulo, rege Iudæorum primo, Pythium Apollinem contra religionem suam consulente, Ode XI.

(1 Reg. 27.)

CV'm Saulus aduenisset æger fœminam,
Quæ consulebat Cynthium,
Cuiusmodi ipse iusserat quidem antea
Omnes ad unam interfici,
Oraculum scitatum Apollinis (nefas)
Despectus à DEO suo,
Ac per Deos iurasset illi incognitus,
Quod uellet, haud fraudi fore:
Succincta cœpit mox nigra palla, pede
Nudo horrida aspectu nimis,
Passo capillo uadere, & ululatibus
Implere deuotam domum;

Terramq; ſcalpere unguibus, diuellere
Agnamq; pullam mordicus;
Atque illius confuſus in foſſam cruor:
Reſponſa manes quæ darent
Vt inde Samuelis extincti ipſius
Repente poſſent elici.
Et cerea atque lanea effigies item
Erat, ſuprema quæ ſibi
Maior minorem & inferam compeſceret
Pœna, & modis ſeruilibus.
Hinc pallida horrendo aduocat furias ſono.
Errare, quo facto, canes
Saulus tremens aſpexit infernas ſtatim
Et horridas angues, nouam
Rubere Lunam, cùm repente fœmina
Vatem pium clamat uidens;
Quid me fefelliſti heu? quid, ipſe cùm potens
Sis Saulus ille, ita placuit
Fraudare me, tuam atque tantum ſeruulam
Adducere in periculum?
Cui Saulus, Amens ne uerere: nil mali
Erit tibi. dic, quid uides?
Regi illa, Diuinum ipſa conſpicor uirum
Aſcendere ex iſto loco.
Tunc ille, Qua forma eſt? Senex eſt penula
Amictus; inquit fœmina.
Rex ſentiens eſſe hunc prophetam, prono ei
Mox uultu honorem detulit.
Quid umbra acutumq; reſonârit, triſteq;

Alterna

Alterna cum Saulo loquens,
Audire forte si cupis, uates prior,
Quid me, inquit, elicis? mihi
Quid es molestus dormienti? Rex ait,
Angustiis magnis premor:
Sæui inferunt bellum en mihi aduersarii:
Auersus à me cœlitum
Rex ipse, respondere per uates mihi haud
Dignatur, aut per somnia.
Quapropter acciui ô parens te, quò mihi
Benignus ipse consulas.
Me, si DEVS *te spernit, ecquid consulis?*
Faciet, ait uates, pater,
Per me quod antè iam prædixerat
Verißimus; ceu qui male,
Parentem asellum iratus in rupes solet
Detrudere, & relinquere,
Ad alterum conuersus est, te deserens:
Nam Dauidi regnum dabit.
Furioso ademit hoc tibi. atque ab hostibus
Cæderis ipse, & gens tua,
Et liberi dulcißimi: mecum unà eris
Cras ipse, filii & tui.
His Samuel breuißimè dictis statim
Incepit euanescere.
Mox, quò ruis? quò proripis te? rex ait.
Heu quem fugis? complexibus
Nostris quis arcet te pater castißime?
Procumbit hæc loquens humi.

DIALOGVS, *in quo loquentes inducuntur,*
F. A. Ode XII.

F. DIc; *qui uiros componere auersos, Deûm*
Scrutari & arcana assoles,
Quid, Adriane, sola grata est quadrupes
Summò parenti cœlitum,
Pede & bisulco pressa quæ uestigia
Linquit humi, & herbas ruminat?
Vt non Cameli, non Sues, at Buccula,
Taurus; Bidens, Capellaq;?
Collyria oculis lippus illino nigra;
Videre non possum hæc tamen.
A. *Quanquam mihi non arrogo, quantùm tibi*
Concedo, amice Spinula,
Qui continenter hæc legisq;, & perlegis,
Dicam tamen quod sentio.
Est pes bisulcus iste nostrum in proximum
Regemq; Deûm charitas:
Et ruminare est cogitare, quæ iubet
Lex sancta, quam tulit DEVS.
Atque optimo non gratus est patri, duo
Præstare qui ista non ualet.

De hominis ortu & obitu, Ode XIII.

NEc Thracia ipsa gaudet ortu infantium,
Nec morte, sic ut nos, dolet.
Lugubris infans quòd sit hic passurus &
Mala atque fata tristia,
Tristatur ortu: morte gaudet illius,
Quòd is puer, qui nudus, ut
Proiecti ab undis nauitæ, miserrimus
Humi iacebat, indigus
Vitali ope omni, quem parentis nixibus
Et uentre in oras luminis
Profuderat Natura, uagitu omnia
Ingente complentem loca,
Quantum sibi in uita hac malorum fleuerat
Restare, tandem euaserit.

Ad Antonium Mocenicum, Leonardi Equitis clariss. fil. Ode XIIII.

DEsipis, Antoni, tribuens studio omnia soli
Mortalium, atque industriæ:
Nocte hic atque die sudat, nec proficit hilum,
Ditescit ille dormiens.
Non satis est igitur studium, nisi sit bona nostræ
Fortuna uirtuti comes.

Ad eundem, Ode XV.

QVòd quæris an dens & capillus caßus est
Sensu; capillus cassus est,
Non dens, ut atque morbus & pressus lapis
E' frugibus, necnon aquæ
Et stringor indicare frigidæ & meri
Algentis ad brumam solet.

Ad Hieronymum Dongellinum. Brixianum, & medicum & Philosophum excellentem,
Ode XVI.

DE Mocenici filiorum moribus
In ædibus mi plura quòd dixti tuis,
Antonium, qualem ipse dixti, comperi:
Maiorem at ipsum natu alumnum Palladis
Scito esse factum, ut liberalius quidem
Humaniusq; fingier poßit nihil,
Nam diligit me maximè, obseruat, colit,
Libens faceßit iussa; uirtutes amat:
In litteras noctu & die incumbit bonas.
Non tantum ephebo in altero uidi ingeni,
Acumen atque mentis & prudentiæ.
Cernas in ipso nil inurbanum & leue:
Aetas sua est sapientior, quàm postulat.
Quapropter integrum integerrimus pater
Hunc plus amat, quàm se: sua ætas iam grauis
Nato hocce conquiescit in dulcißimo,

Ergo

Ergo tibi dum gratias ego, hoc meæ
Quòd nauigare das camœnæ in portu, ago,
Felicitati gratulare tu meæ;
Cui inuenire contigit, qui ſemina
Reddant agelli maximo cum fœnore.

Ad Aloyſium Mocenicum, Leonardi Equitis
clariß. fil. Ode XVII.

LVx Adrianæ gentis ô dulciſsima,
Qui tam patri uirtute præſtas inclyto,
Antonio quàm nobili parens auo.
Magni nepotum Antenoris flos unice,
Quo priſca nil uidere ſecla pulchrius,
Quem Gratiæ, quem Cypria unum deperit;
Octauiani ſiue Carni plectro amas
Sonarier, ſeu Spinulæ dici lyra,
Perambulabis aſtra ſidus aureum.
Quicunque pulchritudinem & mores tuos
Et liberalitatem & ingenium canet,
Fama uetuſtis hic præibit uatibus.
Hæc contulere dona Dij tibi omnia,
Dediſſe matrem fortè ne tibi putes:
Haud iſta partus ſunt Marinæ munera,
Menſes decem haud dedere talia Adriæ;
Es cuius almo lumini unus gratior
Factus, tuis ex quo ſonas hæc ciuibus;
Quærenda, ciues eſt prius pulcherrima
Virtus, pecuniæ hinc ab illa ſcilicet.

Atque hinc procul sint ô profani, qui suis
Famam, decus, uirtutem, & humana omnia,
Diuinaq; hic parêre diuitijs uolunt;
Quas qui sibi construxerit, eum unum uocant
Fortem, atque clarũ, & castum, & æquũ, & nobilem,
Formosum, honestum, & optimum, & quicquid cupit.
Opes uti uirtute partas quid tibi
Magnæ arbitraris esse laudi? nec tamen
Conferre uis ad liberalitatem eas?
Verùm tuo lætare somnio breui,
Lætere inanitate inanior tuo
Vili ære auare, non tuo, sed sortis, aut
Nati improbi, quod perdet impotens nepos;
Dum te ipse multò ditior uirtutibus
Oblecto solis me, Plato ille ut præcipit;
Mori uetantes hæ polo solæ beant.

De Pio IIII, Pontif. Max. ad Romanos,
Ode XVIII.

QVid Romuli uereris urbs, belli impetu
Perculsa adhuc, prostrataq;?
Rediens dies en candidus fugat nigras
Oræ tenebras Itala.
Pietatis en fons rex Deûm tibi aspice
Serenat ut uultu polos,
Patrem Pium qui ciuit optimum ex bonis
Ad te regendam Insubribus.

Aequare

Aequare cernas hunc Piorum gestaq;
Trium, atque facta fortia, ut
Primus paratus pro grege & profundere
Vitam, & tueri hunc à lupis,
Vterque uti Senensis, atque nomini
Et natus uni gloriæ.
Ab hoste raptum iustitia tui inclyti
Huius trophœum erit Ducis.
Currus præibunt, cùm triumphabit, sacra
Reges catenati uia.
Secla aurea iste condet. ergo quid crepas
Brutos, Catones, & Numas?
Portæ per hunc belli æreæ claudentur, &
Mars intus in uinclis fremet.
Regnabit ipse Apollo, & illius chorus
Florebit oris omnibus.
Verum, æquitas, pax denique, & concordia
Florebit oris omnibus.
Ac faustitas tua, hæcq; tanta posteris
Fortuna propagabitur;
Lucem ut nepotes, atque eorum liberi
Hanc candidam æternùm canant.

Ad Carolum Vicecomitem, Mediolanensium ad Pium IIII Pontif. Max. legatum, Ode XIX.

DVm tu legatus properare s mœnia Romæ
Ad alta Carole omnium integerrime,

Ipse tui desiderio perfixus amico
Me, uti fit, ad Padum obsecrante contuli.
Incipiebat auis mulcere hîc æthera cantu:
Dies erat serenus atque candidus.
Pastores uacui canerent dum carmina ad undam,
Et ipse Mopsus, atque Thyrsis, hæc ego
Populea curuo descripsi in cortice ferro
Tibi, atque Moro, & inclytis Quiritibus;
Vix tandem rediјt nobis lux aurea, finem
Suis & alta Roma quæstibus dedit:
Quæ timuit, ne hostis minitans incenderet urbem,
Sacras domosq; Ibera uerteret phalanx,
Barbarus & uictor cineres insisteret atrox,
Et impia manu hîc sepulta quæ carent
Solibus & uentis iterum Pauli ossa, Petriq;
(Nefas uidere) dißiparet insolens.
En belli furor euinctus fremit ore cruento;
Nigros petiuit ecce Erynnis inferos.
Vrbem respexit, Regem huic ciuitiq; potentem
Supremus orbe Rex Deorum ab Insubri;
Qui Pius & populo propulsat cuncta Quirini
Pericula, atque comprimit libidines,
Quiq; fidem reuocat, cultum & Iouis, ut Numa,
Et impios, & innocentiæ fauet; (punit
Per quem uincitur Mauors Tyberine, tuusq;
Apollinis uocatur ad domos chorus,
Fertilis & dulces redeunt Diui arboris umbras
Ab expiatione fructuum, & Deæ.
Ripæ Morus erat fluuiali consita, dulci

Onusta fructuum undequaque copia;
Aduolat anguis hians, furiarum & suasibus ore
Fero uniuersa poma tristis inficit.
Inuidia exultat; pietas tristatur; & ipsa
Latina gens, & omnis ingemit bonus.
Musa Deos, atque astra uocant crudelia Nymphæ.
Paterq́; cœlitum interemit horridam
Fulmine serpentem, Medico iußitq́; fideli
Veneno uti uniuersa mora ita expiet,
Gratior ut cunctis eius sit, quàm prius, umbra,
Amabilisq́; fructus ijs magè omnibus,
Qui desperatis referebant uocibus; Actum est
Bona arbor. id quod ille diligens facit.
Quò Morus colitur nunc electißima; Roma
Sub illius quiescit ipsa tegmine;
Quilibet & uates recubans hîc carmina ludit,
Iouis benignitati agitq́; gratias,
Et bella & paces longum diffundit in æuum,
Pium patrumq́; maximum canit patrem,
Clementem & lepidum Romæ, patriæq́; parentem
Tot in malis gementi. & admodum anxia,
Et tristis queritur sua fata, his obruta penè
Ferè horridiq́; mersa fluctibus maris.
Donatus Rullus, Patauinas qui incolit arces,
Et eius ampla nostra nouit urbs mala.
O' mibi det uitreas DEVS *ire ad Tybridis undas,*
Piumq́; maximum ut canam, atque numina.
Cantando tecum non paruos hîc ego Soles,
O' Anguiger Senator, usque conderem,

Siue Palatino malles in monte sedere,
Opaca seu iuuaret umbra fluminis.
Perge Pater lætum his cœptis adiungere finem;
Vt inclyta urbs Quirini, & Insubres tui
Te sanctum appellent regemq;, Piumq; parentem,
Vt & Numis, Catonibusq; præferant;
Vtq; gregem lætum, & donet te Iuppiter almus
Perennitate dulci, & omnibus bonis.

Ad Aurelium Portulacam, Pij IIII Pontif. Max. Cubicularium, Ode XX.

SPerare tempestate ab atra men' iubes
Repente sidus Aureum?
Inceperat iam per Iouem contendere
Cum spe ægra desperatio.
Demergere ecce me & tabellam ingens furor
Feri parabat iam maris.
En fracta nauis. en supernat mea
Gaza omnis undas æquoris.
En pars carinæ uulneratum ab Africo
Perparua me ista sustinet.
Nam peruenire portum ad optatum amplius
Minus putabam, cùm statim
De nocte menti spem tenebrosa anxiæ
Ortu reduxisti tuo.
Tantæ tui benignitati luminis
Qui gratiam reddam parem?
Queis ipse uerbis maximum istud nunc iubar

Et

Et numen appellem tuum?
Tellus adoret uniuersa te & mare,
Te mundus omnis inuocet,
Mactabo ut ipse sæpe oues tibi, & sacra
Litabo sidus Aureum.

Ad Ioannem Tonsum I. C. Baptistæ I. C. fil.
Ode XXI.

DEcus poëta, nostri honosq; seculi,
Vir ille uera si crepat
Renatus, insula ampla quem Samos dedit,
Adiuit alta qui æthera
Et hausit unus illa luce pectoris;
Sonare quæ minus tibi
Valent mea ora; mecum ab inferis aquis
Es huc reuersus haud semel.
Anacreon bonæ ipse Græciæ fidem, hinc
Dedisti Iambum Horatius
Quiritibus, nouum hinc Petrarcha carminis
Venustæ Hetruriæ genus;
Ita uniuersa quem uidemus & modò
Ea ipsa, Tonse, pangere, ut
Tuum unius sonare magna posit os,
Vt unius sit ingeni
Benigna uena diuitis, & alta mens,
Venusq; grata, copia &
Insitata, ut unius poëma sit,
Quod atque prosit & iuuet.

Amande proinde Tonse, si camœnaq́;, &
Apollo det mihi eloqui,
Deûmq́; sæpe fata me orbem ita hunc uelint
Reuisere, ut modò, hercule
Ad usque secla sempiterna te canam.
Sodalis eſse uitam eam
Tüi intuere, corpora ut minus Iouem
Ad horrida anguis, aut suis
Equi'ue destinare spiritum hunc putem.
Mihi, ut tibi euenit, dabit
Oloris ad redire membra iugiter.
Tuum ergo nomen inclytum
Celebro laudibusq́;, & usque ad æthera
Sublime canticis feram.
Tibi canens studebo dulce uersibus
Noua addere hisce carmina,
Ego ad futura cùm redibo secula,
Et albus ipse olor simul:
Tuum huic decusq́;, lausq́; ut æuo, & omnibus
Sit orbe nota posteris.

Ad eundem, Ode XXII.

ακροστιχὶς δίπλη.

SVspiria immortalis ecquid tristia
Prandens trahis poëta, qui euolabis ad
Indos? tuum ingens nomen Euphrates canet.
Non, albior cygno ipse candidiſsimo,
Vnquam interibis. lugeant, se Tantalon,

Lethea

Lethea flumina, atque uisuros rates
Alii nigra cum sede Cimerio & lacu:
Semper manebit laus, honos, decus tuum.

Ad Carolum Castanum, Mediolanensem, Georgij fil. Ode XXIII.

Virûm potentum Castane apte naribus,
Omniq; grate Principi,
In quo decorq;, & celsitudo corporis
Cum mentis altitudine
Formaq; coniuncta est; Dione, Iuppiter,
Apollo, Mars fauent tibi.
Fauent tibi quæcunque puro sidera
Micant Olympo, qualia
Paulo Baroni, Nicolai antistitis
Fratri, & Sigismondæ uiro;
Vultu sereno siue te Venus aspicit,
Natalis horæq; melior
Saturnius pars, seu Deorum nuncius,
Consentit utriusque enim
Mirum in modum astrum. signa ei quæ amica sunt,
Amica sunt illa & tibi.
Quapropter ambò lucidas sedes poli
Inibitis, cœlestium
Et ordini ascribemini, succos Deûm &
Ducetis usque nectaris.

Ad

Ad Paulum Sfondratum, Baronem, Francisci Cardinalis fil. Ode XXIIII.

NAturæ uti ferrum omne, Paule, fœdere
  Magnes lapis ducit, mera
Tam uisq; permanenter eius perualet,
  Ferriq; uim tam pellicit;
Vt annulus sequatur, atque corpore
  Sic toto eat; Samothracia
Vt uiderim exultare sæpe ferrea,
  Ferri simul ramentaq;
Intus furere scaphio in abeno, cùm potens
  Huic subditus lapis foret;
Tibi ipse, sic connexus ego cohæreo
  Arctè impeditus uinculis
Meis quibusdam, quæ facilius hercule
  Sentire possum, quàm eloqui.
Sentire uerò cœpi id, ad læuam tuam
  Cùm forte discumbens tuos
Vultus serenos intuêrer, & sonos
  Vocesq; mirarer pij &
Parentis integerrimi simillimas.
  Quid? Gratiæ quem sic mihi
Deuinciunt, te dulcius, sapientius,
  Meliusq; fingi nil potest.
Quò, Fama uates si inter æternos (uti
  Precor) uolet me ponere,
Quæram patrisq; facta, uirtutem & tuam
  In lucida astra ducere.

Ad Franciscum Turrianum, Mediolanensem, Gasparis fil. Ode XXV.

FRancisce nobilißime, haud semel tuas
 Camœna uirtutes mea
Chartis simul cœpißet olim intexere,
 Quid, Phœbus inquit, efficis?
Te rebus hisce accingis ecquid maximis?
 Et calculum frustra teris?
Humillimas ingentis hoc laudes tuum
 Poëma deficiet uiri.
Ista urbs, ad immortalitatem in qua patris
 Auiq; uirtutes sui,
Napiq;, Cassoni atque robur inclyti &
 Tot fama maiorum Ducum
Est consecrata, prædicabit iugiter
 Trophœa Francisci fidem,
Rectumq;, mentis & suæ altitudinem:
 Quartus Pius quæ Pontifex
Miratus hoc Insubrium in legato ait
 Domesticis quotidie;
Quid? Turrianus ille auorum Principum
 Regumq; patriæ meæ
Suûm comasq;, & ora, uultum, & pectora, &
 Aequum, sonosq; non refert?
Quò Musa non est, quòd canat te heros mea;
 Quæ laudis ad præconia
Tam magna nec, si uellet, unquam sat foret:
 Sit ergo uelle sat tibi.

De

De quo tacet non ulla ciuitas, domus
Non ulla patriæ tacet.

De uiribus humanis, & ope diuina, Ode XXVI.

V*T potuit Theseus extinguere monstra, uiarũ*
Euadere errorem atque inobseruabilem
Cæca regens (Virgo ut docuit) uestigia filo,
Atque ad suos redire in urbem patriam;
Et nos iactantem si cornua Minotaurum
Cupimus ferum prosternere, & mentis malum
Effugere errorem, & cœlestia templa redire,
Astræa oportet uirgo nobis consulat.
Diuinum auxilium ne temnas: hercle peribit
Qui tribuit uniuersa uirtuti suæ.

Ad Christophorum Madrucium Cardinalem ampliss. Regium Mediolani præfectum, Ode XXVII.

N*Os Insubres quid alter ô parens Numa*
Sanctissime heu iam deseris?
Quo nullus orbem rexit hunc clementius
Princeps ab urbe condita;
Cuius domos tu non minus uultu, polum
Quàm rex serenat Iuppiter:
Quo rege nostro nullus à Gotthis timet,
Nullus mori per uim timet.
Odiosa nobis in tuum quid poscitur
A' te locum successio?

Vindex

Vindex auaræ fraudis, ultorq; , ad tuos
Vbi Lares tetenderis,
Si quis tibi ſuccedet (ut fit) impar in
Quo ſit benignitas tuæ,
Iniuria potentiorum perditis
Quid fiet oro ciuibus?
Quos perdidere non modò hoſtes barbari,
Ac bella Martis horrida,
Obſcœna eorum ſed fames, qui ſanctius
Exhauſerint ærarium.
Hinc ſi ſtatuis abire, ſicut rumor eſt,
Poſthac tibiq; uiuere
In patria tua abſque tot moleſtijs,
Nos quando uel noſtri Inſubres
Auro ſtudentes eruere funditus,
In quo locemus ſpem obſecro?
Vita eſt quibus iucunda uix manente te,
Migrante ſed ne uix quidem.
Quid ciuitas hæc magna debeat tibi,
Teſtis phalanx eſt hoſtica
Perterrefacta, ille & fugatis oppido
Dies tenebris candidus.
Quapropter urbs hæc te rogat per cœlites
Omnes, per illos & Deos,
Qui ciuitati conſulentes huic bonæ
Suis eum te Principem
Dedêre, quem, Saturniæ ſicut patrem
Quondam Latini, diligunt,
Ne, quæ te in unum tota, nomen & tuum eſt
Conuerſa,

Conuersa, sese deseras,
Sed optimos non æmulari desinas
Viros, sibi qui non modò
Sensere natos se, at sua mortalibus
Aliis ope indigentibus.
Dijs esse quàm simillimos, qui cæteris
Viuunt, tibi persuadeas:
Quin hos honore perpiti solos Pater
Dignatur, & mensa Deûm.

Ad Donatum Rullum, Licium, Salentinum,
Ode XXVIII.

ACceßimus Donate heri Madrucium,
Paucorum & hominum, mentis & sanæ benè
Dextro idq; tempore, atque cùm tulit ipsa res,
Versus per attentam aurem ut irent illius:
Ne fortè, si palparer ipsi (ut fit) malè
Recalcitaret tutus illico undique.
Vt uenimus coràm, obtulit mi dexteram,
Quæ feceram, hilaris atque cepit carmina.
Hunc ipse singultim allocutus pauca sum;
Nam uetuit infans plura profari pudor.
Rogauit, essem'ne Aonij amicus boni.
Sum, dixi. at ille, Nostram in urbem si uelis
Migrare, eris conuictor illic tu mihi;
Cunctis fauorem, quem par est, meritis uti
Lætere respondisse speratum tuis.
Accendit, ut cupiam huic magè esse proximus.

Non posse matrem reddidi me linquere,
Cui saluo opus me est unico, inquam, filio.
Per quam assecutus sum, quæ amas in me, omnia.
Mox ille, Tu piè, ut uir optimus, facis:
Venies, ubi felicem eam composueris.
Optatius nil. Iandiu hercle, is occupat,
Te noscere optabam. hic mihi Laurentius
(Aderat enim) quid Spinula esses dixerat;
Qui diligit bonum omnem. Opus si quid tibi est,
(Læuam mouebat, ut fit, hæc loquens manum)
Vel olim erit, tibi, atque non deero tuis.
Sed si quis à te quærat, Ipse quomodo
Madrucius tecum? ista ne illi dixeris.
  Hîc ipse, Magnas gratias ago tibi,
Laurentioq;, maximum qui existimo
Vita, atque puro pectore, haud claro patre
Quòd placuerim utrique; omne honestum qui probè
Secernere à turpi, atque meliora à bonis,
Et optima à melioribus Scitis. Vale.

Ad eundem, Ode XXIX.

CVm, Rulle, cœnaremus ipse & Hercules
  Bonos apud Florentios,
Quærente me, quid à DEO æterno magè
  Factum sit hîc mirabile;
Hierony mus ait clara Olympo sidera,
  Quæ affixa cœli cuncta sunt
Magni cauernis, ac mouentur iugiter,

Quanquam uidentur quandoque
Cessare: nam clarissimo occasus suo
Longos reuisunt corpore
Exorta, permensa ætheris cùm sunt uias.
Theodorus inquit, corpora
Prima esse, quæ in motu hocce sunt nunc, olim erunt,
In quo fuere iugiter;
Vt quæ uidemus esse, & inualescere,
Gigniq;, tamq; crescere,
Quàm cuique Naturæ est datum per fœdera,
Sint, Iuppiter quoad uelit,
Futura conditione eadem hæc omnia,
At Hercules, sententiæ
Cuius fui, ista dixit esse maxima,
Fratres adhuc quæ dixerint:
Sed quæri opus mirabile ipsius Patris.
Quod illud ergo est? inquio.
Ait, esse formarum hanc uarietatem omnium
Tantam, ut pari filo nihil
Sit, & figura affectum eadem cernere;
Simillima ut quæ uideris,
Inesse non nullam ijs tamen distantiam
Formæ & figuræ iudicem.

Ad Franciscum Macassolam I. C. Mediolanensem, uirum ornatiss. Ode XXX.

FRancisce Macassola, uitæ & integer
Iurisq; consultissime,

Quem

Quem scripsi heri, ad te iudicandum liberè
Hunc mitto sermonem: Petrus,
Et Nicolaus differunt amiculi
Arcana Naturæ ipsius. P.
SCITVS *puer mi natus est & elegans,*
Prorsum mei simillimus. N.
Contrà mihi nata est puella, coniugi
Prorsus meæ simillima. P.
Sed opto causam scire, quare liberi
Aut huius, aut sint illius
Simillimi, uel neutrius; prout Iulius,
Astare quem uides, meus.
Nam sæpius mi tu recepisti, ordine
Hæc uelle cuncta exponere. N.
Complexa corpus si mariti fœmina
Iungens suo cum corpore,
Semenq; commiscendo sibi cum semine,
Virus mariti mulserit,
Ac corripuerit ui repentina, sui
Fiunt suo tum sanguine
Simillimi, prout patrio fiunt patrum.
At utriusque quos uides
Mistim figuræ esse, ora miscentes suum &
Vultus parentum æqualiter,
Crescunt patris de corpore atque matris ij,
Excita conspirans simul
Cùm semina ardor mutuus per membra eo
Amore conflixit, neque ut
Sit uictus hic, nec ulla, at in Cupidinis

Congressu uterque ualuerit.
Quare parentis filum nothum ferè
Sui referre os uidimus:
Iecur quòd à serua ulceratum nobilis
Alens homo sub pectore
Amoris in certamine hanc uicit, quæ cum
Vel paulùm amabat, uel nihil. P.
Quid? liberos non sæpe faciem uidimus
Réferre maiorum, & sonos? N.
Possunt auorum existere interdum quoque
Simillimi hercle, sæpius
Referre proauorum & figuras: quòd modis
Admista pluribus suo
Cælant patres in corpore hîc primordia;
Profecta quæ sæpissimè
A' stirpe, patres patribus solent dare.
Sorte inde producit Venus
Variè figuras, & refert mores, comas,
Vultusq; maiorum, & manus:
De semine ista quando non certo magè,
Quàm membra fiunt corporis.
Sic fœminarum nascitur seclum patris
De sanguine, & matris mares:
Partus enim de duplici usque semine
Constant, & æqua plus habent
Parte illius, seu fœminæ, siue est maris
Origo, cui similes magis. P.
Sed quæ Deorum numen & sortes die
Noctuq; frustra lacrimis
Fatigat

Fatigat atque uouet, illi quid minus
Fœcunda dantur semina? N.
Dicetur. istæ fœminæ aut tenui nimis,
Crasso aut nimis sunt semine,
Tenui, locis quòd haud ualens affigere
Extemplo adhæsum liquitur,
Crasso, quòd æquo mittitur concretius,
Ictu'ue prolixo haud uolat,
Vel non penetrat, uel penetratum altero ad-
miscetur ægrè semine. P.
Promisso & utere, atque paulatim pilos
Tu caudæ equinæ uellis: at
Quid plurimæ infœcundæ erant cum coniuge
Priori, & inde filios
Natasq; suscepere plures tempore
Breui, uiro nuptæ alteri?
Itemq; fœcundæ anteà, quibus domi
Fuere sæpe coniuges,
Gaudere partu quæ nequiuerant tamen,
Inuenta compar est eis
Natura: uti munire poßint dulcibus
Curuam senectam liberis:
Statimq; suscepere prolem. quid magis
Hæc uxor illi par fuit? N.
Horum quidem fuere causa semina,
Cultusq; uitæ, & potio:
Nanque, apta commisceri uti sint semina
Cum semine genitaliter,
Magni intereſt, tenuia craßis, crassaq;

Vt conuenire tenuibus
Sint apta: refert, uita quo uictu, atque quo
Colatur ambobus cibo.
Nam nostra crescunt rebus aliis semina,
Contraq; tenuantur alijs,
Tabentq;: refertq;, & uoluptas queis modis
Tractetur ipsa maximè.
Quare, ferarum more plurimi magis
Ritúq;, natos gignere
Plerunque dicunt coniuges: sumunt quia
Lumbisq; sublatis loci
Illi & reposto pectore intus conditi
Humana melius semina.
At, qui Deos contingere propius soles,
Quid de tumultu Gallico
Captis & audisti oppidis & urbibus. P.
Nil prorsus hercule audij.

Ad Gabrielem Faloppium, Philosophum, Mutinensem, chirurgiam Patauij publicè profitentem, Ode XXXI.

SApiens Faloppi, Gaspar hic Parma est tuæ
Senex alumnus patriæ,
Bonorum amicus omnium, uir & grauis,
Sanctusq;, & integerrimus:
Is prædicat, calumniatorem tuum
Mentiri, & asseclas suos,
Semper se ab ipsa infantia uidisse te

Quod es, nec unquam prorsus aut
Coruum, aut olorem, aut picam, ut isti dictitant,
Fuisse & hic, & Mutinæ:
Ac uera Mutinensis Augustinus hæc
Cunctis Gadeldinus refert,
Boios apud quæ rettulere olim mihi
Certa esse plurimi senes.
Quid ergo? Rotiono uti iam sæpius
Dixi Federico optimo,
Iniquus iste Zoïlus sui hercule
Pœnas luet mendacii, &
Virtus tua, inuito hocce monstro, lucida
Ardebit inter sidera.

Ad Lucam Spinulam, Baptistæ fil. ex Genuensium Duce Procuratorem, Ode XXXII.

QVi rex fuisti patriæ Luca, nitens
O' Spinularum flosculе,
Qui gloriam atque pristinæ laudem refers
Virtutis, uno te auspice,
Istuc uelim redire, ubi & flores hiant
Vrente Sole Aquarium
Insubrium à regione, maiores mei
Quò se receperunt, gener
Hanc cùm Philippi ille occupauit regiam,
Qui Galeatium edidit.
Et, ne ociosus ipse sim istic, si uelis
Dicam tubas, equos, duces,

Et arma, uel Genuensium annales mea
Illustrium absoluet manus.
Quadere amicos uniuersos obsecro, &
Tuos sodales conueni;
Coniunctus hisq; enitere, ut locus mihi
Sit ciuitate in patria.
Quod Spinulæ si Spinula efficies, mea
Hæc grata erit tibi lyra:
Callisto & Arcas quà micant, uel alba quà
Pollucis, atque Castoris
Stella infimo æquore eripit quassas rates,
Perambulabis aureum
Et ipse sidus astra, qui hic ditissimis
Es consecratus insulis.

Ad Lucam Iustinianum, Genuensium Principum ad præfectum regium Mediolani legatum, Ode XXXIII.

IVstiniane fortis, eloquentiæ,
Artiq; musicæ fauens,
Farnesius quem summus ille Pontifex
Tanti solebat pendere,
Vt nobilem uirum, atque Sauli proximum
Vt gloriosi Antistitis;
Ad principes simul audij te Insubrium
Venisse Genuæ nuncium,
Nixus tua uirtute confugi illico
Ad te, rogans, ut me iuues.

Hieronymus

Hieronymus narrabit ipse Spinula,
Clarißimus uir, quid uelim;
Audire quem si sentiam te, factaq;
Tua, atque uirtutes canam.
Nam spiritus non tam uiro fama inclyto
Et uita post mortem redit
Per publicis incisa marmora litteris,
Quàm docta per uolumina.
Quid Romulus, Numa, & Catones, quid forent
Pompeius, atque Iulius?
Quid Albius, quid Naso, si taciturnitas
Obstaret illis inuida?
Non eloquentis ergo pendeat amplius
Bonfadij interruptum opus,
Ingentis ut Pauli Alberæ ipse filius
Ingens Iosephus cupit,
Stephanus ut eius frater opimus rogat,
Et omnis ista ciuitas.

Ad Io. Baptistam Grimaldum, Hieronymi Cardinalis fil. Ode XXXIIII.

GRimalde, cœptos quòd rogauit me Ligur
Vt scribere annales tuæ
Sumam urbis, atque facta, laturus mei
Per te laboris præmia;
Apollo iußit, exararem hæc ut tibi, &
Precarer impensè, inclytam
Vt qui gerunt Rempublicam, hocce dent mihi

Per te uirum ornatißimum,
Dicêre summa qui camœna, ut dignus es,
Mea, atque uirtutes patris.
Promittimus nam sic tibi; si nos minus
Vincemus alios, scilicet
Doctißimi uel singularem æquabimus
Bonfadij eloquentiam:
Cui pensa lucem & si sororum ferrea
Extinxerint fatalium,
Laudes, honosq;, fama & ingens attamen
Vatis manebit iugiter,
Dum salsa Caurus concitabit æquora,
Dum findet agros Syrius.

Ad Bartholomæum Taëgium I. C. Mediolanensem, Ode XXXV.

TOnitrui esse filium te ciuitas
Docte hæc Taëgi prædicat,
Videre quòd tonare, fulminareq;
In actionibus tuis,
Vt ille, qui defendit Archiam, improbi
Et Verris accusat famem.
Miratur idcirco ipsa & ingenium tuum
Europe & eloquentiam;
Qua, belluis quàm præstat homo, hodie tuos
Plerosque ciues præteris.
Quapropter inter eruditos inclyta
Te fama ponet & bonos,

Et,

Et, Cygnus ingens siue Perseûs quà micat,
Ad sidera euehet aurea;
Opes Roberti cùm peribunt, cùm nigra
Cognoscet ipse tartara.

DIALOGVS,
in certi auctoris, in quo Dionysius Athanasius,
& eius amicus colloquentes inducuntur,
Ode XXXVI.

D. *QVid lacrimabas oro, me quotidie*
Cùm uulneratum inuiseres?
A. *Quòd asserebant te Machaones boni*
Omnes periturum breui.
D. *Quid asserebant me periturum?* A. *Quia*
Radix cerebri secta erat
Mucrone pædagogi amici perfido
Illius icta clanculum;
Furiæ tuum quem egere præcipitem in caput,
Cui debet ingratißimus.
D. *Quis me tamen seruauit, & memet mihi*
Vobisq; amicis reddidit?
A. *Benignitas parentis æterni, qui ea*
Sic luce consuluit tibi,
Vt nosceres diuinum Apollinis genus,
Mortalis hoc sub imagine
Terræ solum qui lustrat Aesculapius:
Qui filium extinctum herbulis
Regi antè Creßis Gnosio, atque reddidit

Olim Dianæ Virbium;
Nunc uerò & ipsi, luce qui carentia
Vidisse regna, & te asseris
Stygia in aqua fouisse pectus, saucium
Caputq́;, uitam reddidit.
D. *Iam iam Chimæras Orci in atri faucibus,*
Scyllas biformes, Gorgonas,
Et Cerberum, & Discordiam innexam comas
Vittis cruentis horridas
Inceperam uidere, Florauantius,
Forti à Leone qui sibi
Deduxit immortale nomen, cùm mihi
Vulnus Deorum nectare
Te diluit præsente & ambrosia: statim
Atque huc redire oportuit.
A. *Illum at redire oportet hinc Bononiam,*
Vbi prius uisus fuit
Mortalibus, cùm lapsus est alto à polo.
D. *Qui deserit nos obsecro?*
A. *Cui anteà inuidere, nunc illum obsecrant,*
Dignetur ut suos sua
Iuuare ope; & dementiæ mortalium,
Vt postulat diuinitas,
Ignoscere: eius nomen, olim ut Arcades,
Vsque inuocaturos pium.
D. *Hoc si uiris continget, ut beati erunt*
Tanti Dei præsentia,
Sic diues eius ipsius mecum Adria
Absentia infelix erit.

Ad

Ad A. Calemerum Plantinidum, Ode XXXVII.

QVid, Plantinide dulcis obsecro angimur?
Tradamus Austris & dolores & metus,
Portare Tyrenum Adrianum'ue in mare.
Aduersa solos nos fatigat Sors rogo?
Nati sumus qui legé mortales ea,
Vt corporis feramus ægritudines,
Vicesq; fortunæ, improborum & uoculas,
Tandemq; mortem lineam rerum ultimam.
Gazæ boni infelicitas tibi excidit,
Malaq; aliorum, capite qui in flumen malè
Misere se re gesta operto, aut in mare?
Vitet quis è mortalibus leti uiam?
Quis non obeat, is sit licet, quod Paulus est?
Si solus hæc paterere, quæ dolent tibi,
Quin ualde tristarere, nil uerbi adderem.
Morderis opprobrio ipse falso, hostis tuum
Vetus fabrum fuisse contendit patrem;
Mendax alumni infamia ingratißimi,
Cuius popello scruta nostro uilia
Vendunt parentes, me innocentem terruit,
Sed mitto curas hac super re plurimas.
Nefarium uidebis istum maximos
Remunerari debitis pœnis Deos.
At quicquid ipse sum, licet censum tuum
Infra, genus, uirtutem, & ingenium, tamen
Inuita quàm doctißimis fatebitur

Semper

Semper probari inuidia me ipsum uatibus:
Quærensq; dentem illidere fragili, modò
Vt aspicis, nempe solido offendet suum.
Plebs sim, locoq; natus infimo; ferus
Me rodat hostis, patre ut ortum ignobili;
Quid sim modò unus ipse dicas, famaq;
Crescat mi, ut occulto arbor æuo, iugiter.
Quid? ista contemnamus, ipsi & sanguinem
Nos hisce concedamus esse pauperum,
Ortosq; nullis esse nos maioribus,
Breui omnium hominum in ora uenturos; quibus
Absint inani funere querimoniæ,
Luctusq; turpes, atque clamores, item
Sepulcri honor superuacuus, & næniæ:
Hæc tanta quæ benignitas Apollinis
Nobis habere donat, in quibus magè
Iam gaudeamus, quàm hostis ut luctum afferat,
Offensionem, lacrimas, fastidia.

Ad quendam Mediolanensem, Ode XXXVIII.

Discincte Lulba dic nepos quid delites,
Qui tam frequentabas forum?
Quid delites, marina uti natus Dea
Phrygum sub urbis funera,
Virilis ut ne cultus in cædem & feras
Iret cateruas hostium?
Componere ausus in sacerdotum gregem
Mala optimorum carmina,

Quid

Quid te in cubiculum abdis, aut in hortulum?
Furti an secundi te pudet?
Non ulla abactus quando conscientia
Mei inuolasti æs Ambrosi,
Dum personaret illius magna admodum
Domus molosso sic cane,
Vt seruus, Ambrosi & sodales uiderint
Te, nouerintq; expergiti,
Vnusq; conclamauerit, Tu furibus
Sis ò bone impunitior?
Quid mirum? odorem testa seruat, quo est semel
Imbuta: sub noctem pyra
Non lance uel poma assolebas clanculum
Mutare furtiuo puer?
Foueam timent lupi, hamum & ipse miluius,
Turtur pudicusq; laqueos,
Si euaserit: modò at pium spes sit tibi
Fallendi auum, aut amiculos,
Non bis die, sed centies sacra omnibus
Misces profanis omnia.
Tonso mihi quòd fortè rusticius toga
Defluxit, atque calceus
Laxus malè hæsit in pede, irridere me
Tu olim solebas, nunc te ego haud
Tonsore uti curatum inæquali quidem,
Crines, ineptum'ue, sed uti
Turpem uicißim risero uitijs malis
Contaminatum & flagitijs,
Innata cui permulta spina est atque agro

Vrenda

Vrenda neglecto filix.
Qui dignus es describi, uti fur, & malus,
Famosus, & mœchus, putas
Nullum Eupolim, nullum & Cratimum liberè
Te uir notaturum bone?
Qui semper insanire nuptarum soles
Et pusionum amoribus?
Chartis poëtæ illeuerint ut quod semel,
Et uniuersos gestiant
Pueros, & à furno ac lacu frequenti anus
Id scire redeuntes domum,
Et id uelint tabernam habere omnem, atque eam
Pilam, tua in qua carmina
Inepta clanculum assolebas figere:
Huic uulgi ut insudet manus.
Veniat tibi in mentem illius nunc temporis,
Tu quo magistros lædere,
Quo simplices mordere gaudebas, tua
Quo te iuuabat carmina
Famosa inanem, uel lauantem, uel domi
Tuæ sedentem, aut in foro
Cantare, non quærentem id hora an tempore
Num forsan alieno & sine
Sensu fieret: & si sapis, tibi consule.
Dimittere auriculas satis
Non est, iniquæ asellus ut mentis, cùm onus
Dorso subit nimis graue.
Si Romuli urbem adieris, non sic eris
In ore uulgi totius;

Sin

Sin feceris, quod incipit triſtis tibi
Suadere deſperatio,
Melius ualebis ſic latere hercle, & minus
In uoculas incurrere:
Nam uindicauit à nece & ſuſpendio
Sontes cucullus plurimos.
Gregi ſacerdos adminiſtrabis uirûm
Illic bonorum incognitus.
Sed fortè lances iuſſus, ut fit, tollere
Caueto ne ius & tepens
Ligurias, piſcem atque ſemeſum, niſi
Pœnam uelis grauem dare:
Cerebroſus illic proſilit quidam, caput
Qui talibus nequam & domat
Lumbos ſaligno fuſte mox, in carcerem
Et dedit obſcurum illico.
At hercle potius poſſe riuos arduis
Pronos relabi montibus,
Vel Albulam reuertier, quàm te ipſum ita
Fieri improbum antè credidi.
Setoſa duris exuêre pellibus
Vliſſei olim remiges
Volente Circe membra; mores improbos
Sed ipſe non unquam exues.
Expes quid hîc morare adhuc? cubicula &
Inominata perpremis?
Sed paruiſſes ſi bonis, non Lulba te
Tui ſodales temnerent;
Non ſede prohiberere, ut infamis, ſua;

Qui te rogat per litteras,
Te non ad Antonellum abire diuitem
Vetaret iste infans pudor;
Non cogitares ire, quò pedes ferunt,
Quò per salum uentus uocat,
Infamis haud traducerere urbem per hanc
Totam, nec esses fabula:
Sed te malis tot improborum opprobria
Absterruissent ciuium,
Pericula & uentura sensisses breui,
Ardente alius pariete
Tectum ad tuum, neglecta uim istam incendia
Tantam nequissent sumere;
Non uniuersis ipse peccasses cruce,
In urbe qui sunt, dignius;
Et nemo collum ad hoc parentis impium
Preßisse te contenderet;
Non pelle speciosum & decora extrinsecus
Et turpis introrsum fores;
Non denique incußisset erratum tuis
Tantum pudorem proximis,
Nec te attigißet hæc minus mendax, tibi
Inusta quæ est, infamia,
Prorsum tibi quæ detrahi nunquam queat,
Non si uniuersis Addua
Lymphis, & Ister fluctibus, non si omnibus
Neptunus undis eluat.

Ad-

Ad Leonardum Mocenicum clarißimum Equitem Antonii procuratoris fil. Ode XXXIX.

TAnta mirantes hic omnia prædita culpa,
Rerum paratam haud eße naturam à DEO
Innumeri à uera lapsi ratione putarunt
Leonarde, queis incognitus sane fuit
Fons primus rerum & caput, & natura & origo,
Adæ parentis error & dementia;
Quæ si hominem nunquam cepisset, iußaq; Diuûm
Passus foret, fuisset expers funeris.
Immortalis erat factus; sed quòd patris amens
Mandata fregit, execratus est eum
Rex Superûm iratus, terram ac animalia quæq;.
Hinc mentis atque corporis cœpit premi
Morbis ex illo uarijs humana moriq;
Natura; & uniuersa, quæ huic creauerat,
Vnà alia intereunt: animali animalia in illo
Effecta quoniam continentur omnia.
Non igitur Vates ab re lusere Latini,
Post fraude subductam è domo flammam ætheris
Audaci à prole Iapeti, incubuisse cohortem
Terris malarum tot nouam ægritudinum,
Corripuisse gradum semoti denique leti
Necessitatem, amota quæ prius fuit.
Principio libri descripsit furta Promethæi
Moses, Hebræa quem uocauit lingua Adam.
Sed noua progenies cœlo descendit ab alto
Supremus almi patris ad nos filius,

Qui fugat & maciem, & febres, turpemq; senectā
Ex orbe, secla & condit hæc gregi suo,
Vt turbam ignoret morborum & funera acerba,
Ac sempiternos duret orbes annuos.

Ad Hieronymum Priulum sereniss. Venetorum Ducem, Ode XL.

PRiule, re uera, atque sancte nomine,
Quo pulchra Libertas duce
Lætatur & tyrannide extinctá exilit,
Aes, ligna, marmora huc uehit,
Aedes sacras cœlestibus ponit, suos
Non infrequens colit Deos,
Iniuriam armis æqua nemini facit,
Armis tuetur ius suum,
Nocte & die ociosa cantat carmina,
Tangit fides, inflat tubas,
Somnum petit secura, liberos alit
Parta suo re sanguine,
Spectacula atque pandit emporia, suum
Venditq; mercimonium,
Surgunt domus pulcherrimæ & palatia
Miranda, pontus sternitur,
Huc euolat Thrax, Maurus, Indus, Aethiops,
Terræ patent & æquora,
Dum torta membra Ixionis miserrimi
Formidat inuidia impotens,
Formidat immortale dum Tityi iecur,

Acremq;

Acremq; Tantali sitim,
Salue parens Saturne, salue, urbi tuæ
O' secla condens aurea.
Quò semper hic manebit & nomen tuum, &
Fama, atque laudes, & decus,
Dum rumpet iracundum in Adriam Padus,
Dum piscis undas diliget,
Ouisq; gramen, dumq; cantibus uaga
Mulcebit ales æthera.

Ad Albertum Gallum, coniugi nimium indulgentem, Ode XLI.

GAlle, quid insanis? sunt quæ facis omnia, (Galle,
Amentis, haud amantis, hæc.
Nulla est mica salis tibi tanto in corpore, uirtus
Nec ulla, nec prudentia.
Quid leuis ô thalami consorti immittis habenas?
Quin frena coniugi inicijs?
Compellare uiros alienos, atque pudoris
Exire fines hanc sinis?
Aßiduè & curru pateris uolitare per urbem?
Seruus uideris illius,
Non uir: pannosus sic atque incultus inepte
Ipse es; uenustæ at coniugi
Sic famulis, Phrygijs indulges uestibus, auro,
Bacchis, equis, & serico.
Indomitum est animal mulier, leue, & inuidiosum,
Nimisq; natura impotens.

Tu nisi principijs obstes, rideberis inde,
Tibiq; serò consules.
Semper desipiet, nullum factura furori
Suo & modum licentiæ.

Ad Ambrosium Barbauaram Theologum, Bergomensibus in collibus cum Federico Cornelio Episcopo agentem, Ode XLII.

FElix, cui pasunt oculos uiridantia tempe,
Recenti & herba rore gemmans hortuli,
Atque ulmi, & platanus cœlebs, cui laurea Phœbi
Excludit ictus spissa ramis feruidos,
Oblectantq; animum labentia flumina propter
Colles, quibus fanum atque cœlites domos
Imposuere pij; saltus, ipse unde uidere
Errantia & iumenta poßis & greges:
Cuiq; lyræ pater & pecudes & cætera diuus
Tam pingua almus, præter ingenium, facit.
Cui subitas uolucris curas auertere cantu
Faunisq; Syluani atque Panes assolent;
Cui licet in syluis umbrosis degere, terras
Atque rabiosa urente mare canicula;
Cui licet ex animo uersus componere, gesta
Corneliorum & facta dicere inclyta.
Nos uerò urbanis pater hisce in fluctibus olim
Medijsq; tempestatibus nil scribimus.
Hos inter strepitus non Pieris ipsa moratur,
Hinc fugit, & tuum euolauit in nemus:
Deditus

Deditus hic alijs nil pango: ludere uersus
Nam desti ex quo tempore huc me contuli.
Hic posco toto membranam uix quater anno,
Et quæque scripta uix retexto bis, mihi
Iratus, nihil & dignum sermone canenti,
Vini & benignus somni, ut ista gens facit.
Ergo tu uacuus componas Ambrosi, in æuum
Nostræq; sis necessitudinis memor.

Ad Hugonem Hugonium, Brixianum,
Ode XLIII.

O Nomine & cognomine Hugo nobilis;
Et gloria atque spes boni Andreæ patris,
Mirum in modum desiderat te Brixia,
Desiderant amici: ego at possumneque
Tecum, nec absque te, sodalis, uiuere,
Quem diligo unum, & cogito: me litteris
Quapropter appellato quàm creberrimis.
Robustus ille Albertus, atque proximi
Omnes salutem plurimam dicunt tibi,
Faciuntq; uota mecum, uti iam ab Adria
Te ciuitatem conferas in patriam.

Ad T. Prosperum Martinengum, Brixianum, suum, Ode XLIIII.

Mirare, quòd te, Prosper, ornatißimum
Sapientiaq; præditum ipse dixerim?
Quid si addidissem hîc & alias dotes tuas?
Non sanctitas in te, atque liberalitas,
Genusq; nobile, omnium & mortalium
Contemptus atque religio coniuncta sunt
Cum temperantia, atque probitate & fide?
Scientiam linguarum omitto enim trium,
Animiq; puritatem, & æquum, cognita
Quæ sunt mihi atque Brixianis omnibus.
Tu Martinengorum ergo lumen & decus,
Vt nesciens puella formosißima
Suum decorem, pulchritudinem tuam
Modestia istiusmodi auges maximam.
Dulces ad umbras Gambaræ hæc sub umbra ego
Tibi canebam, cùm bonus uates mihi
Brunorius, cui dixeram, me Brixiam
Redire uelle, frenum equi dixit mei
Non inueniri. quid struis fallaciæ
Sodalis? inquam. Prospero doctißimo
Promisi enim hodie me regressurum hercule.
At ille, Prosper dixit in somnis mihi
Castris roganti, se mea causa & prece
Musam tuam promißione soluere.
Tecum sit, usque dum libet. respondeo,
Logi: est opus me in ciuitatem regredi.

Pergitq;

Pergitq; dicere ipse, Amicorum omnia
Communia. ægrè Prosper ergo non feret
Te uti suis. abibis illò ex Idibus.
Deditq; plures uerba sic luces mihi.
Demum dies post quattuor, cùm nec daret
Mi frenum adhuc, & pertinacem me utier
Pro freno alumnus Martis atque Cynthij
Zona uideret, id mihi iussit dari.
Fidei igitur Brunorium fractæ reum
O' Prosper integerrime, haud me, dicito,
Serò tibi caballus hic si redditur.
Nam qui impedit uolentem, is in culpa est. Vale.

Ad Benedictum Patinam, Brixianum, Medicum excell. Ode XLV.

QVòd mihi non unus Bulla & Benedicte Robertus
In gloriosa ciuitate hac inuidet,
Ad positum rabies furiosa redibit Iambum
Mea, atquè sauciabit plurimos.
Atro dente petit quòd me non improbus unus,
Non sanè inultus ipse deflebo, ut puer.
Illius ergo mihi scribe obsecro nomen inepti,
Præfert Homero qui poëtæ barbarum
Scriptorem, Publi contemnens carmina; cunctis
Vt Brixianis sit iocusq;, & fabula:
Famosis etenim coopertus uersibus ibit
Mediam per urbem turpis introrsum & foris.

Ad Carolum Vicecomitem, Romam accersitum à Pio IIII Pontif. Max. Ode XLVI.

QVid euolas Quirini ad urbem? quid sacros
Regis Pij inuisis Lares?
An dignitatem sera respexit tuam,
Vt semper optaui, Dea?
Quam diues omnis, atque purpurei simul
Vnam tyranni contremunt,
Necessitas & saeua clauos dextera
Gestans trabates quam praeit;
Et spes, & albo rara sectatur fides
Velata panno comminus.
Quae tollit imo de gradu obscurum altius
Repente Medorum genus,
Vertit superbos quae triumphos cladibus
Gentis Caraffarum piae,
Pisum furente quae manu de Tybridis
Ripa eruit radicitus
Auersa, summum iniurioso quae pede
Infensa Montem proruit,
Domos potentes ueste quae relinquere
Vtcunque mutata parat,
Quae barbaros ad arma concitat, Pij
Frangant ut imperium patris.
Non brutam & insanam, atque caecam dixero
Posthac eam, si clara te
Regum propago Insubrium respexerit
Hoc Diua tempore attamen.

A' fratre

A' fratre Othonis atque Thebaldi Petro
Octauus es fortißimo,
Hæc quem secundum mi quietem dicere
Nocte, ut fit, hesterna audij;
Non pagina est ullius ipsi Delio &
Acceptior mihi, quàm tua.
Deludet ante terra arantes partubus
Falsis, suos primum ad caput
Retro liquores & uocabunt flumina,
Piscisq; nudus gurgitem
Siccum uidebit, charitatem quàm meam,
Mi Spinula, aliò transferam.
Quæ me tenebit cumque terra, per Iouem
Magnum tibi præsens ero,
Præsens ero: quousque ero memor mei,
Ero memor tui. Vale.

Ad Hieronymum Hugonium I. C. Brixianum, Bonifacij fil. Ode XLVII.

LEthargi in undis dum nigris demergimur,
Falsa & uidemus somnia,
Nostræ quid Hugo hoc tempus ætatis fugit,
Breuis dies ut præterit?
Nam lux uti brumalis albescit, uenit
Hinc aureus Sol, dißipans
Ardorem, & euolat, unde medios incipit
Accendere æstus, & ruit
Paulatim ad occasum, & quadrigas in maris
Maturat

Maturat undas condere;
Cacumina ipsi summa crescendi quoad
Contingeremus, creuimus.
Vires minutatim atque robur nunc uiden'
Paulatim adultum frangere?
Peiorem enim in partem, usque nostra linquitur
Aetas, quousque decidat,
Atque haec, data à primordiis rerum sibi,
Et reddat umbram & puluerem.

In Ferracinum praedonem, qui Io. Baptistam Raccum discipulum suum Nouaria redeuntem in nemore extinxerat,
Ode XLVIII.

QVid contra studiū naturae hic, atque potentes
Diuos consuetudine latro
Duruit errandi, penetrarint ut mala in ipsum
Crudelis contagia morbi?
Terrores animi quid diffugêre, Deorum
Audeat ut contemnere patrem?
En uocat in miserum secla orbem ferrea: dulcem
En iugulat Raccum impius ense.
Iuppiter ecquando uindex descendat Olympo,
Det uinclis fataleq; monstrum?
Si poterit mundi iste erumpere moenibus altis,
Euadet sibi numina Diuûm
Irata, euadet poenasq;, uicesq; superbas,
Flammam euadet, quae manet ipsum:

Omnes

Omnes quem furiæ lacerabunt, quem fera sontem
Immortalis flamma uorabit,
Cùm meus in cœlo uiuet Baptista *beatos*
Aeterna inter secula Diuos.

Ad *Primum*, Comitem, Italum, Ode XLIX.

VAlde tuos absens cupiebam cernere uultus,
Itale Prime Comes, *sancte, et uir integerrime,*
Cùm Baptista *mihi conscripsit amabilis ipse*
Tempore te facilem uenturum ad Adriam *breui,*
Atque ubi me inuenias à se te quærere amicum.
Protinus inuenies me Brixiæ, *aut ad* Adriam.
Hactenus huic legi Ciceronem *nempe iuuentæ;*
At modò me Veneti *quærunt eò conducere.*
Ad nos omnino, statuis quo mense, uenito,
Itale Prime Comes: *uenies enim optatißimus.*

Ad *Federicum* Cornelium, *Bergomensem* Episcopum, Ode L.

NObilis Antistes pater ò Federice, *diserto*
Hinc Barbauara *illo tuos adueniente Lares,*
Ad tua me secum cupiebam frigida tempe
Conferre, non hoc solùm uti, sed te etiam fruerer,
Qui fratrem æquiparas recto & sapientia utrunque.
At Luciagus *me tenet* Monsilicusq; *bonus,*
Fortis Eques Mariusq;, *potens* Hieronymus *ipse*
Et Hugo: *charitati ego debeo cuncta suæ.*

Nam

Nam mea uobiscum migrauit Musa, quòd æther
  Incanduit, tostos quòd hîc Syrius urit agros:
Collibus oblectat se istis, oblectat amicis
  Et se camœnarum tribus scilicet, egregio
Teq; , canent semper quem Musæ & pulcher Apollo,
  Vicario illustri & tuo, Ambrosioq; meo;
Ille alijs pergit certè, haud sibi uiuere, summi
  Parentis horum maximum numen uterque colit.
Nanque, forem si istic, celebrarem stemmata uestra,
  Corneliorum cum inclytæ nobilitate domus;
Quæ clarum duxit nempe antiquissima Publi
  Ab Africani fortibus principium patribus;
Quæ libertatem Venetis persuasit amandam
  Suis, graui cùm lugeant Itala regna iugo.
Nam cuncti Hesperij, Externis heu regibus, aiunt,
  Seruimus omnes: libera es Adria sola. Vale.

Ad Ioannem Aillanium, Narbonensem, Gallum, medicum excell. Ode LI.

PLus, quàm Machaon, Phœbo Aillani edite,
  Herbis Ioannes potens,
Te Gallus & desiderat, te, quem tenet,
  Et suspicit solum Adria.
Si Theseo esses rege natus, usa ope
  Tua fuisset Delia;
Tu sidus esses, tu teneres in polo
  Strictis draconem brachijs:
Vbi tamen, probante patre, aliam tibi

Sedem

Sedem Diana præparat;
Gens unde Narbonensis usque, uti cupis,
Spectabis ædes patrias.

Ad Aloysium Mocenicum, Leonardi Equitis clariss. fil. Ode LII.

DIc oro Mocenice formosissime,
Præstare Dij quid non ualent?
Quodcunque retro est, irritum non Iuppiter
Efficiet æternus; neque
Diffinget infectum atque reddet, hora quod
Fugiens semel uexit, DEVS.


Libri, qui Epodon inscribitur, finis.

P. Franciſci Spinulæ

MEDIOLANENSIS

Carmen ſeculare, cum aliquot poëmatibus additis.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS, *Ex officina ſtellæ Iordani Zileti.*

M D LXIII.

Ioannis Baptistæ Thebaldi, Pennensis, in seculare Spinulæ carmen distichon.

Hæc Christo et matri, nõ Phœbe et Cynthia uobis,
Orbibus à centum singula secla canent.

MAGNIFICO ET illustri Matthæo Bombenio, patritio Taruisiensi S. D.

P. Franciscus Spinula Mediolanensis.




Irtutis tuæ indoles, maiorumque tuorum sapientia apud omneis totius Italiæ populos adeò increbuit, uti sis famæ incredibili celebritate etiam nobis & aliis absentibus uniuersis notus. Vt enim illi fortitudinem, & iustitiam, & liberalitatem semper coluerunt, ita is ipse eorum es imitator, ut certè sis in tuæ urbis desiderio, in sermoneque exterarum gentium. Proinde cùm iam sæpe Maguntius nostris

in ædibus tuas ſtuduerit laudes perſequi, tamen earum ipſarum neque principium inuenire, neque euoluere exitum unquam potuit. Itaque cogitanti mihi, cuinam ſeculare carmen cum aliis uerſibus coniunctum dicarem, te in primis hoc munere eſſe digniſſimum idem mihi & ſuaſit & perſuaſit. Cæterùm, quò melius carmen ſeculare primum & ſecun dum intelligas, hæc tibi perpauca præfari non grauabor. Cùm Mediolanum urbem Inſubrium amplisſimam, quemadmodum T. Liuius Patauinus ſcribit, Galli ædificarint, complurium amicorum, præſertim Fagnani, rogatu, primum ſeculare poëma compoſui. Cùm poſteà Caro-

lus Senator, nunc Epiſcopus Intemelienſis , me in eum locum duxiſſet, ubi Dei benignitate Lucas Vicecomes , Galeatii Inſubrium Ducis patruus , fortiter hoſteis ſuos fudit & fugauit , poëma ſecundum in illius gratiam ſcripſi . Quorum quidem carminum quia exiguum erat uolumen , alia inſuper iis adiecimus poëmata . Tu igitur pro tua humanitate & munus hoc ne aſpernare, & bonarum artium ſtudioſis faue . Vale . Venetiis, Calend. Decembr.

CIↃ IↃ LXII.

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS CARMEN SECVLARE PRIMVM.



Ad Ioannem Baptistam Fagnanum, nobilißimum ciuem Mediolanensem, Donati fil.



AGNANE *optime & eloquens,*
Hoc urbi Insubrium inclytæ
Quod nostræ cecini, tibi
Dulce mitto poëma.
AETERNVM *pueri patris*
Summi dicite filium,
Intactamq; puellulæ
Eius dicite matrem:
Nam prolem unigenam DEI
Hæc uirgo edidit, & pius
Humanum ille beans genus
Nigro ducit ab Orco.

 Integri

Integri pueri integram
Parentis sobolem optimi,
Virginesq; puellulæ
Virginem oro canamus.
Regis filia Dauidis
Annæ progenies, patrem
Nata quem peperit sacram
Deposiuit ad aram:
Vt CHRISTI *genitrix foret,*
Qui uita atque hominum salus
Pro nobis uoluit necem in
Cruce occumbere acerbam.
Vt mors proficiat sua
Precanti populo obsecra
Natum pro miseris tuum
Nobis, Virgo, precamur,
Rex ô cœlicolûm, DEVS.
Potens, atque homo funere à
Tristi quem pater inferis
Excitauit ab imis,
Diuûm qui recipis tuo
Vitam perpetua & bona
Gregi, corpora qui iubes
Reuiuiscere nostra,
Sis quocunque tibi placet
Sanctus nomine, & hanc diem
Oris luce precor tui
Tam pura usque serena:
Hac enim mea ciuitas

Fundata illa fuit, prius
Cuius in regionibus
Vidi hæc lumina cœli.

Ad Ioannem Baptiſtam Fagnanum, *nobiliſsimum ciuem* Mediolanenſem, Donati *fil.*

DIs gratulor me patre natum eſſe optimo
Iuſtoq; Gabriele, Donato ipſe uti
Caſtiſsimo, æqui fratre Caroli illius,
Vitam piorum qui egit in terris Deûm
Temnens opes, ad ultimum uſque ſpiritum.
Quòd ſi quis à compluribus luſtris potens
DEVS peractum æuum hoc iuberet iugiter
Remeare, patresq; eligi à cunctis ſibi,
Quos uellet, ad factum, ipſe certè hoc uno ego
Contentus eſſem, forte iudicio tuo
Sanus, ſed amens uulgi & imprudentium:
Sabella cui diuina anus mota licet
Vrna canens inſtare fatum triſte, ei
Suaderet, ut migraret in ſedes nouas,
Portenta ſic uitare poſſe; is reddidit,
Quod ipſe adoro numen, eſt præſens mihi
Vbique: conſeruabit hîc me non minus
Rex cœlitum benignus, alio quàm in loco,
Si rem mala ratione maiorem neque
Feci, neque uicio hanc minorem & crimine
Facturus unquam ſum, ut docet lex ipſius.
Contentus iſtis uenor illorum nihil,

O' si casa illa, ô si angulus, qui nunc mihi
Deformat agrum, accedat ille proximus;
O' si æris urnam sors mihi qua monstet, ut
Simoni amiculo Opij hunc aranti agrum.
Doloribus diebus à paucis miser
Cœpit laborare, atque fieri cæcus, &
Persæpe fatum conqueri suum. tamen
Hortatus est nos usque uirtutem ad bonam;
Extrema cuius hæc fuit præscriptio;
Nam signa ei natura cùm mortalia
Misisset, uxorem & uocauit liberos,
Illisq; dixit, uelle sacro se unguine
Vti; sacerdotem ut uocaremus, sua
Commissa supplex cui erat fassus. uenit,
Vngit, DEOS *precatur, ad fanum redit.*
Mœstus parens tremente nobis uoce ait,
DEVM *timete, opiniones de patre*
Fictas Deorum obsecro ne comprendite,
Matremq; uestram amate: nec plura edidit.
Expertia at uersare somno lumina
Incepit, alia & signa adhoc mortis dare:
Mœrore perturbata mens in maximo, &
Metu, supercilium atque triste, acerrimi
Vultusq; furiosi, auris & sonoribus
Plena, & coortus raro at ingens spiritus
Creberq;, per collum atque totum splendidus
Sudoris humor, ac minuta & tenuia
Contacta sputaq; croci coloribus
Et salsa, raucas uix per ipsas edita

Fauces

Fauces anhela tußi: & utraque in manu
Nerui trahebant, at tremebant sæpius
Artus, cauata lumina, atque tempora
Caua, ipsa dura pellis atque frigida,
Naresq; compressæ, & tenuia acumina
Primoris ægri nasi, & ora pallida.
Incepit inde obire paulatim gemens,
Sensumq; membratim uniuersum perdere
Vitalem: & ungues primum ei liuescere,
Atque hinc pedes & crura uidimus mori,
Totos & effœti ire deinde corporis
Leti per artus frigidi uestigia.
Sicq; occupasset atra mors ut hunc
Lomatij, illic corpus eius lugubris
De more mater mox sepulcro condidit.

CARMEN SECVLARE

Secundum.

AMbroßi seclis pater à duobus
Dicimus carmen tibi seculare;
Maximo & grates agimus parenti
Auspice CHRISTO;
Qui tuo per te populo det illa,
Quæ die festa petit hac, tibi qua
Anguiger supplex inimica Lucas
Castra fugauit.
Castra Belgarum superata, quòd tu
Ipse uenisti subitò uocatus

Rege eques, duro minitans flagello
Hostibus eius;
Qui statim fusi periere cuncti.
Atque, ubi Lucas prece lacrimosa
Te fatigauit, posuisse sacras
Vidimus aras,
Vidimus quæ mox pius Imperator
Hac tibi uicta scelerum phalange
Templa fundauit, Duce gentis huius
Actio amando.
Carole hæc nobis sacra lux sit usque;
Hac Parabiagi ueniant ad ædem
Insubres, Diuumq; canant, tegit qui
Nosq; tuetur.
Et legant quas tu rediens in urbem,
Atque ego, & Marcus memores ad aram
Legimus uersus monimenta seræ
Posteritati.
Noster Aedilis, comitesq;, senas
Ordine inflantesq; tubas, præite:
Virgines lectæ, pueriq; casti,
Dicite laudes.
O decus uatum sapiens, in ore
Cuius examen pueri cubantis
Ipsa apum uidit genitrix, auusq;, &
Romula pubes,
Cùm pater fortis regeret potentem
Galliam, cuius fuit inde dulcis
Dulcia huic sermo populo Deorum

Verba

Verba loquentis;
Huic gregi casto faueas precamur,
Cui parens olim pie præfuisti;
Vt tua & nostra nihil urbe maius
Viscere poßis:
Tu tuis placa superûm parentem,
Fata uti iungant bona iam peractis,
Ne tuos durum genus heu cruentus
Opprimat hostis:
Vt colat terras, pede Pax rubenti
Pinguia & musta premat; alma tellus
Spiceis templi sacra uti coronis
Limina donet.
Sint procul febres, uarijq; morbi;
Sit procul belli rabies, egestas
Turpis, atque iræ, furiæq;, habendi &
Dira cupido:
Sint mali mores procul à iuuenta;
Detur optata & requies senectæ;
Detur huic genti decus omne, proles
Dignaq; patre.
Diue, producat sobolem tuorum, &
Prosperet per te facilis Deûm rex
Fœminis decreta super iugandis
Tempore in omni:
Certus ut denos decies per annos
Virginum cœtus referat, tubasq;
Orbis & laudes populi, & canentum
Carmina uatum:

Aeuum uti nobis melius perenne
Alterum in lustrum pius & benignus
Protegat, nostras oculis serenis
Qui uidet arces.
Hæc Deos audire bonam reporto
Spem domum, ac certam, pueri & puellæ,
Dicere & doctus Superos, beatum
Ambrosiumq;.

Ad Philippum Regem Max. Caroli V. Imper. fil. de Francisco Gallorum rege sororis suæ fratre, ab hostibus obsesso.

PHilippe Gallo maxime subueni
Vnum inuocanti te precor, obsident
Quem castra coniurata inermem,
Vt nisi tu properes, sit actum.
Germano opem fer coniugis anxio
Tuæ gementis: nam soceri audij in
Somnis ego Henrici parentis
Illius ista referre manes;
Philippe, fœdus, pactaq; ubi fides?
Naturæ ubi ius? relligio? æquitas?
Coniuncta dexteræ atque dextra,
Et pietas? ubi rectum, honestum?
Fandi & nefandi non memores Dei?
Quid dicat audin' fex hominum, & paret?
Ergo Italum atque armato Iberum
Innumeram in scelerum cohortem.

Germania

Germania atrox seq; Britannia
Adiungit illis impia, Tybridis
Flauas Pio & lugente ad undas,
Hesperia gemente tota.
Vnum intuenti te gener obsecro
Succurre nato. quem sui ita obsident
Ciues & intestinus hostis,
Vt nisi tu properes, sit actum.

Ad Stephanum Mariam Hugonium, Brixianum, Equitem clariss. de nimia Luciæ, & Annæ sororum credulitate.

LVcia in urbe mea fuit, Hugo fortis, & Anna;
Illam Minerua ornabat, utranq; & Venus;
Et suadela etiam communiter; hæq; parente
Vno editæ. harum cùm mariti cernerent
De forma assiduè contendere & altercari,
Deponite, aiunt, ò maritæ, pignora,
Quæ capiat uictrix; lectumq; accedite comptæ
Ad iudicem. Sit Faunus, utraque asserit,
Ambæ illum nonis adeamus. pignus & Anna
Deponit annulum, annulumq; Lucia.
Intereà specula illarum depicta mariti
Furtim auferunt bina ad tabernam Lazari.
Non opifex illo fuit ingeniosior alter,
Solertior'ue, sæpius quem uiderant,
Fecisse hæc multis specula, ut tradatur in illis
In speclum imago uera de speculo hominis

Mirificè

Mirificè, in uitro ſimulacra ut plurima fiant,
Fiatq́; imago læua, dextra quæ data eſt.
Hunc ergo accedunt, ut uitrum immutet utrunque,
Appareat monſtroſa imago ut coniugum,
Vt ſimile effingat uitrum orant; qui, ut uideatur
Therſite in illis utraque eſſe turpior,
Materiam flectit tenuem, exornatq́;, politq́;
Apprime opus totum, hoc quod eſt factum modo;
Huic media ſpeculo pars exit, & infima contrà
Subſidet, & ſuprema; at illi media pars.
Deprimitur, contrà ſuprema atque infima ſurgunt:
Seſe in uitro uidentis hoc imaginem
Naſo prælongo mittit, longiſſimo & ore,
Illudq́; maiorem in modum uultu breui,
Et facie nimium deformi, fronteq́; lata
Labrisq́; mentoq́; ore item latiſſimo.
Vxoresq́; uiri fatuas illudere pergunt,
Vt credulas, ut admodum inſanas, leues.
Obſtipo capite & ſimiles metuentibus illas
Conſtanti & ore commonent, furorem uti
Atque iras Diuûm caueant, qui uertere formam
Mortalium in deformitatem olim ſolent.
Coniugibus noſtris iratus Iuppiter ultor,
Spargunt ſubinde: his quod refertur, & timent,
Et uulgò narrant ſe numina magna uereri.
Multa, monentur, ut Deos orent prece.
Non cibus & potus iuuat has, non ſomnus ocellos
Tegit ſopore, uerùm eas furor toro
Indomitus uerſat toto lucem cupientes

Videre;

Videre; ut æquum conferant se ad iudicem.
Prima luce torum nonis ambæ exiliuntq́;, &
Vestes parant sibi, & comas pectunt bene, &
Accedunt celeres speculum, quod idem esse uidetur,
In quo uidentes se alteras, ut monstraq́;
Deformes, clamant primos sibi numina uultus
Mutasse, sicut coniuges prædixerant:
Diffugiunt uisu exangues, simulacra suiq́;
Inuisa uitant oris, ac febrem incidunt.
Horret prætereà, formidat, iudiciumq́;
Detrectat ægra, & cedit utraque alteri.

Ad Io. Baptistam Fagnanum, Donati fil.

INsubrium Baptista formosissime,
Amice Musarum choris,
Quem, Cæsarem ut fratrem elegantē, & Paulum itē,
Natu & minorem Masium,
Et tangit immortalitatis atque amor
Vitæ perennis, si cupis
Vitare fatum triste, mortis & feræ
Leges malignas frangere;
Hîc te erigas, genium atque defraudes tuum,
Hîc seruiasq́; gloriæ;
Ac Martios quando & Camillos & Duces
Volumnios, nec Cæsares,
Virum nec illum, cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit,
Minus datur sequi, æmulare Tullium,

Crispum, Tibullum, Horatium;
Quod patruelis Marcus & facit tuus,
Quem Lancilotus edidit:
Si nec uales id assequi, pro uiribus
Vel ipse Mæcenas tibi,
Integritasq; morum & æquum & lenitas
Sectanda, Ioannes uti
Is fecit atauus, qui Philippo pro Duce
Insubrium sponsor fuit,
Tenuesq; cunctos reddidit uos, aureis
Centum solutis millibus.
Viuunt enim, quas gesserint, rerum hîc boni
Vigentq; fama perpeti.

Ad Ioannem Iacobum Rotulam Mediolanensem.

Virtute qui duce huc iter per arduum,
Missa uoluptatis uia;
Euaseram, ut mirarer id loci Deos
Dedisse præter spem mihi,
Ex hoc loco quis depulit me? tam citò
Cur inde præceps decidi?
Vt filio Galæ accidit, qui in gurgitem
A' sede patris irruit.
Quò decidi? unde? turpe commissum uigil
Nunc ipse ploro. an ludit heu
Vitijs carentem inertibus imago ista me?
Non ista sunt insomnia.
Mortalibus dant cœlites rarò bona

Cum

Cum mente fortunam bonam.
Si tu quiesses propria in pelle, haud mala
Fortè accidissent hæc tibi.
Fulgente curru gloriæ & tu uis trahi.
Inuidia priuato est minor.
Vt qui uideri pulcher optat, inijcit
Curam puellis singula
Quærendi, ita ipse & uniuersos quærere
De te coëgisti inuidos.
Forsan rui, ipse quò mihi notus forem:
Nam semper ingenium ducis
Cælant secundæ res, & aduersæ probè
Nudant sibi atque cæteris.
Te legimus frontem ò tot aduersis bone
Mutasse nunquam Socrates.
Musarum amicus & choris Dearum ego
Minus tot aduersis tamen
Gladioq; deuoto hic fui extinctus, miser
Sed excidi solummodo.
Quòd si excidi per Africanum ut Principem,
Per te, altius conscenderem,
Iacobe mi, memoria casus ualde me
Olim iuuabit istius.
Ac ne renascens lugubri nostra alite
Fortuna tam tristi mihi
Iteretur infortunio, quotidie
Deos fatigabo prece.

Dialogus. F. A.

QVid nos, ut antè, non quatis risu, Ambrosi ?
Versus ubi, ludus, ioci ?
Quid non cachinnas amplius, rorantibus
Nec spargis ora lacrimis ? A.
Arcum non usque Delius tendit, lyra
Nec usque Musam suscitat.
Vernis nec idem floribus honos semper est,
Nec Luna uultu uno nitet,
Semper rubens. non ipse sum is iam, qui iocos
Requiemq; quærebam undique.
Quæ cuncta ueniens fert iuuentus commoda,
Viden' senectutem adimere ?
Prædantur orbes cuncta de nobis, bone
Francisce, euntes annui:
Ereptus his mi ludus est, & carmina,
Iociq;, risus, & sales;
Tendunt & extorquere spes, & gaudia,
Et denique auram & spiritum.

Ad Iulium Forestum, Equitem & Comitem clariß. Brixianum.

VIr fortis & uitæ integer, Iuli Comes,
Nomen beati qui occupans
Sapienter unus utere & donis Deûm,
Nefas cruentum peius &

Leto fugis, nocentibus qui commoda,
Honorem, opesq; haud inuides,
Quo, ciuitatis Brixianæ Heros potens,
Versu tibi grates agam?
Frangis furorem qui improborum, à Delio
Qui me & Thalia distrahunt.
Cui debeo uniuersa, non tu munerum
Ferres amice pessima,
Franciscus ut Ricchinus excellens forem
Si & ipse diues artium,
Quas protulit Parrhasius, quas & Scopas
Ipse docuit, coloribus
Ille liquidis, saxo hic DEVM *nunc ponere*
Solers, equum aut nunc belluam:
Lætare si poëmate, fide & Teia,
Possum tibi donare ea.
Ergo cape inceptum, id licet nequiuerim
Ad umbilicum adducere,
Vt postulant tuæ atque uirtutes, tua
Et gloria, & frugalitas;
Antonius quas filius dulcis, tui
Animi & imago corporis,
Seclis futuris (rara quæ est sua indoles)
Versu perenni concinet.

Ad Hieronymum Luciagum, nobilißimum ciuem
Brixianum, de Alexandro filio suo bellißimo.

HOratius quod inquit optimus, Viros
Fortes creari fortibus,
In filio illud luce clarius tuo
Amici, & in te cernimus.
Virtute maius quid tua, hocq; ardentius
In orbe? te ista scilicet
Mortalem ut egregij & silenti altißimi
Miratur unum ciuitas.
Et filio quid pulchrius, uenustius
Tuo? quid elegantius?
Pulcher nec ille corpus absque pectore est:
Est forma ei, & prudentia.
Mater tenello filio quid gratius
Vouere, quid maius solet?
Quàm sapere, quàm quæ sentiat poßit loqui,
Et forma cui contingat, &
Comes ualetudo, & crumena, quæ minus
Deficiat unquam, & gloria?
Quæ cuncta, supremo à parente cœlitum
Olim tibi prius data,
Sunt filio iam ex parte magna; & cætera
Per te assequetur omnia.
Quàm liberalitate & æquo ciuibus
Et assoles tuis fide,
Pueris decore, moribusq;, & indole
Tam præstat hic cunctis puer,

Suadela

Suadela quem ornat & Venus, cui & fauet
Minerua, Marsq́; & Cynthius.
Mendosa paruis huic licet natura sit
Vitijs, uti si in corpore ad
Talos reprendas eius ipso à uertice
Næuos ei inspersos, tamen
Arcana si ipsum fata seruabunt, tuus
Vt Claudius, profectò erit
Fortisq́; & æquus, atque sapiens; factaq́;
Maiora erunt fama illius.

Ad Ricardum illust. Comitem Sancti Bonifacij, Veronensem.

ET si fit, hic ut sorte contentus sua
Mortalium non uiuat ullus, attamen
Te commodius hoc uiuo, Ricarde inclyte,
Quòd dum sequuntur uos equis uectos duo
Vel quinque pueri seruulis properantibus,
Est quà libido, incedo solus: quanti olus
Percunctor, & poma; atque differtum forum
Pererro circum; aßisto diuinis; tuum
Ad Curionem eo & legentem Tulij
Orationes, atque uatum carmina,
Qui Rhetoris nunc & poëtæ nunc uicem
Defendit ornatißimus uir omnium.
Hinc ad Iouis festino lucis maxima
Iam parte præterita, & fatigo eum prece,
Aliosq́; Diuos, quid precari me putas?

Qui donat, aufertq; omnibus uitam, atque opes,
Vt largiatur & mihi uitam, atque opes,
Mentemq; sanam pro sua clementia.
Quid? ut mihi sit nunc quod est, item minus.
Et ut, mihi quod restat æui, edacibus
Viuam absque curis totum id, & morbis: & ut
Prouisæ in annum frugis adsit copia
Bona, dubiæ ne pendulus fluitem, ut solent
Quàm plurimi, horæ spe: utq; seruet liberos,
Vt comparatis integra bonis fruar
Cum mente, turpem nec senectam degere
Nec fidibus obsecro & carentem ista lyra
Dulci, & laborum barbito leuamine.
Non posco; uitem ut hîc calæna falce ego
Premam nouellam, siue uti sim ditior
Ipso Marino, merce qui exercet Syra
Vinum reparatum & culullis aureis,
Et gaudet ære plurimo, atque honoribus.
Meq; inde confero ad leguminis domum
Vncti satis lardo, aut catinum olusculi.
Meosq; dapibus pasco libatis, uti
Cuiq; est libido, cœna dum nobis Deûm
À seruula, ut fit, administratur bona.
Hinc mensam acernam cinctus altè gausape
Puer mihi pertergit, atque sublegit
Vnà celer quodcunque inutile hîc iacet.
Quid multa? seruus nullus hercle fungitur
Vernaliter, prout Cæsari, officiis mihi
Tenui, quod offert omne prælambens, dapes

Nec

Nec continuo tot, urbis ut primarij,
Qui gloriæ sunt ciuium admodum anxii, &
Ineunt opum certamen: à malis faba
Me tutus hic ſolabitur cunctis cauus.
Dormitum eoq; poſteà, inuocans Deos,
Somno grauis, non ſollicitus unquam, mihi
Quòd manè ſurgendum & ſit, atque Regius
Præfectus obeundus, hominis qui denegat
Se ferre poſſe factioſi lumina.
Vbi iacui quod eſt ſatis, uel lucubro,
Vel lecto, uel quod me iuuat ſcripto. hinc uagor.
Vbi lauatum me admonet Sol acrior
Ire, rabioſi fugio ſigni tempora, &
Caniculæ æſtus uito in umbra feruidos,
Et innocentis duco Lesbii ſcyphos
Virentium ſub tegmine orni frondium:
Ac deinde pranſus ocior domeſticus.
Si iuſſeri ſub prima diues lumina
Venire conuiuam, ut fit, ad ſe Publium
Suum, uenire non recuſabo; tamen
Libentius cœnabo regia in mea.
Quæ ſumier non cunque paruo obſonia
Ciui queunt, captare non quæro admodum,
Rhomboſq;, leporeſq;, & coturnices: minus
Mi nanque auari uentris obſequium placet.
Non ipſe eo, quò ducit impotens gula,
Non ipſe ducor uentre, mortales uti
Leues: nec imbecillis, atque iners ego
Nidore naſum perdicis ſupinor. &,

Si fortè olus non decoquatur tam cito,
Huiusmodi haud clamore blatero insaniens,
Nemon' feret ligna ocyus? quis accipit?
Sed interim me confero in cubiculum,
Legoq́; uates, me quoad uocet puer.
Dum uescor, istis & fruor bonis meis,
Frumenti agris quòd emetam dotalibus
Plus cæteris, non ullus inuidet mihi.
At bruma agello cùm niues nostro illimet,
Vatum libros subinde contractus legam;
Vt rem augeant, dum cæteri haud parcunt sibi,
Satis nihil queis esse quantumuis potest.
Quos si dolentes haud opes deliniunt,
Cur inuidendis postibus, Dux ut facit,
Sublime moliar atrium ritu nouo?
Pascunt agri dum uos trecentis, aut suprà
Nummûm coëmpti millibus, libra æreq́;
Ipse in diem, quod est opus, mercor mihi.
Nuper'ne numerato obsecro quid intersit
Viuas, an olim? nil mea sententia.
Vates tuus tibi inuidet si opes, uide:
Nam plura quisque à Dijs feret, quantò sibi
Negauerit plura cupientium nihil
Peto ecce castra nudus. optans transfuga
Cupiensq́; partes diuitum relinquere.
Quod est satis, cui cœlites parca manu
Magni obtulere, bene est ei; nam plurima
Desunt auaris, plurima exoptantibus.
Fortuna honores mutat incertos mihi &

Nunc,

Nunc, & benigna nunc tibi: collaudo eam
Ipsam manentem, canticis celebroq;.
Quòd si quatit mutata pennas, quæ dedit
Resigno, me uirtuteq; inuoluo mea,
Et absque dote quæro pauperiem probam.
Nam cùm procellis mugit Africis rates,
Nec ad preces decurro, nec uotis ego
Paciscor, ut ne Cypriæ merces Salo
Addant auaro, moxq; præsidio schaphæ
Meipsum biremis fert tumultus per maris
Alti graues tutum aura, Polluxq; geminus.
Vita hæc solutorum est, Comes, miserrima &
Grauissima ambitione. me consolor his,
Amice, uicturum esse multò suauius
Vobis, quibus fortuna florentissima est.

De filii DEI salutis nostræ natali die, ad hominem.

HVmana gens, flere & queri iam desine,
Tot perdidisse & tanta te bona omnium
Per impij mortalium auctoris scelus,
Fruges creasse sponte tellurem sua
Nobis nitentes, atque læta papula,
Fœtusq; dulces, & merum dulcissimum;
Nunc aucta quæ labore uix nostro ualent
Grandescere; ut persæpe quassans tempora
Suspiret homo, frustra & laborasse, & boues
Et plaustra contriuisse frustra & uomerem.

Humana gens, flere & queri iam desine,
Quæsita magno quæ labore sunt tibi,
Cœpere cum flore uel frondescere,
Aut cuncta torreri ipsius feruoribus
Solis, pruinis'ue obrigere tristibus,
Cædi'ue dira grandine, aut uexarier
A' turbine Austris ista mox perflantibus
Imbri & repentino, omne passimq; horridum
Terra & mari infestissimum crearier,
Augeri, aliq; bestiarum in te genus.
Humana gens, flere & queri iam desine,
Queis terra, natura atque rerum dædala
Ipsa pariebat omnibus largè omnia,
Queis nulli & aduersarij atque hostes erant,
Qui haud ferro egebant, non domo, non arcibus,
Haud ciuitate, haud uestibus tenuissimis,
Crassis'ue, diligenter hos inquirere
Vestes sibi modò uarias pro tempore
Cœli, modò armis esse & altis mœnibus
Opus, quibus tutentur & sese & sua.
Humana gens, flere & queri iam desine,
A' ueritate nos aberrare miseros,
Vitæq; tantis in tenebris degere;
Quos si parens Heua edidisset innocens,
Nec per ruisset improba uetitum nefas,
Causas liceret sponte rerum agnoscere,
Lunæ & meatus Solis atque siderum,
Et piscium ingenia & ferarum & alitum:
Quin sponte textilem atque picturam, omneq;

Præclarum

Præclarum opus per se faceret homo integer.
Humana gens, flere & queri iam desine;
Tot corporis, tot mentis ægritudines,
Morbos, dolores, & mala humanum genus
Preßisse, in obscura ut perennes morte sint
Nobis item pœnæ & timendæ à numine;
A' quo prius datum haud mori nobis erat,
Migrare sed certo ad polos post tempore
Ad cœlitum uitam, hic parentes quàm fero
Illuderentur angue, Olympi & rex eos
Orbemq; terrarum execraretur furens.
Humana gens, flere & queri iam desine,
Feruore caldo febrim in artus accipi
A' te coortam, uel dolores omnia
Per membra morborum omnium, obturgescere
Tibi pedem repente, dentes arripi
Acri dolore sæpe, in ipsa lumina
Sæpißimè qui inuadit, atque exurere
Ignem sacrum quascunque partes arripit
Per membra repentem uniuersa corporis,
Malisq; tot, leto & dari te denique.
Humana gens, flere & queri iam desine,
Rex cœlitum quem cæteris præfecerat
Expertibus rationis, & animantibus
Colentibus terram hanc, marisq; piscibus
Vasti, gregi uolucrum & omni primitus,
Receperat cui tempore à certo pater
Honore dignaturum eum se perpeti, &
Mensa Deorum uita & immortalium,
Hunc

Hunc fulmine è summo esse deiectum feri
Serpentis inuidia huc, quasi atra in tartara.
Humana gens, flere & queri iam desine,
Te sorte peiori esse natam, quàm feræ:
Meliora multò, quàm prius, nobis DEI
Benignitas incomparabilis dedit;
Nacti sumus sortem & uoluptates Deûm:
Opus Deorum *intelligemus, &* DEOS.
Quin mors & immatura non uagabitur;
Nec tempora anni dura morbos afferent;
Viuendo enim cœli aureis in sedibus
Vincemus infinita cum Dijs *secula.*
Humana gens, flere & queri iam desine:
Molitur istas ecce ad aures res tibi
Accedere, nouaq; species se ostendere
Insitatæ charitatis, omnium
Quæ omnino difficillima ad credendum erit,
Qua maius est nil, & magis mirabile,
Prolem unicam factam esse mortalem DEI,
Nos Diui *uti fiamus è mortalibus,*
Passamq; sese interfici, ceu uictimam,
Homo ut sit immortalis & DEVS.
Humana gens, flere & queri iam desine.

Ad Antonium Besutium.

Quid consulis malè ô tibi Antoni? improbo
Quid uteris Lomatio?
Qui uirginem haud stuprauit unam, rumpere

Qui

Qui nuptias quærit tuas.
In impiam qui opinionem de Patre
Labuntur, omnes fugeris:
Gregem bonorum maximè lædunt enim
Huiusmodi contagia.

Ad eum, qui clamat, Ego sum lux mundi. (Ioan. 3.)

QVi lumen ô mundi aureum spirabile
Cœliq́; tantis è tenebris impio
Orbi potes clarißimum te ostendere?
Quî totius terræ ista peruulgans sola,
Vitæq́; nostræ commoda illustrans tuo
Splendore, nobis nuncium apportas bonum?
Beato, & immortali, & æterno tibi
Quid gratia oro humana largiri ualet,
Vt aggredi mortalium causa uelis
Hæc, qui medentem urgemus, ut lethargicus?
Iratus in nos qui ob nefas dirum, uaga
Torquere ab alto debuisti fulmina
Cœlo furens, delereq́; humanum genus
Extemplò, inexpectata es usus in reos
Ea benignitate, ut ad sponte ueniam
Lapsus polo uocare nos, perennia
Et ad bona inuitare item perrexeris,
Crudeli ab hostis uindicans tyrannide,
Dignam uniuersos qui abstrahebat ad necem,
Cœtu antè nostro quàm pius te ostenderes.
Te nostra spes, te uita, uerum & gaudium

Lætißimum

Lætißimum hunc lux orta præcurrens gregem,
Te te genus summi ô parentis omnium
Deûm sequemur, fixa signis in tuis
Vestigia imponemus impreßis pedum.
Menti anxiæ nam te duce atque te auspice
Reducimus spes, omnis unde labitur
Homo impius, qui negligit uocem tuam.
Te qui minus sectatur, istum cæcum agit
Dementia, æqui & ueritatis inscium,
Quem porticus tua atque grex stultum autumat.
Sed nostra requies, & uoluptas cœlitum,
Currentibus spacium obsecro nobis uiæ,
Quam tu ipse monstras, fer opem, atque respice.
Adiutor ô sis rex tuis; insigni uti
Cum laude perueniamus ad regnum tuum.
Quod assequemur, si manu horam sumere
Grata sciemus, quam ipse fortunaueris
Nobis DEVS, *spes nostra, lux, & gaudium.*

Ad hominem, in ea domini uerba, Quod habere homo uidetur, auferetur ab eo. (Matth. 25)

EXtorris patria, conspectu insane fugatus
Longè à Deûm, nefarioq; crimine
Fœdatus, pressusq; erumnis omnibus, ista
Quid te cupido cæca honorum recti homo
Cogit & extremos iuris transcendere fines,
Atque pietatis? amore laudis quid tumes?
Quid te deuincis? quid te in fraudem induis ipse?

Qui

Quid non honestum, quid'ue amas inutile?
Nil proprium nobis: domini quæ cuncta uidemur
Habere, non habemus hoc in carcere.
Fortuna en puncto permutat temporis aut ui,
Aut ære, & argento hic, suprema forte'ue.
Quin etiam repetunt abs te primordia rerum
Hucusque commodatam & umbram & puluerem.
Quàm demens igitur, qui multa sibi hîc putat esse,
Homuntio: quando ipse ne suus quidem est.

De mirabili Iuliæ Romanæ constantia.

DVm uulneratam Romæ amici Iuliam
Solantur, hostilem execrantes impetum,
Dumq; auribus legem optimi instillant patris,
Fontes remotos & sacros quæ adiuerat
Et hauserat præcepta uitæ tempore
Omni beatæ, fortis ore hæc edidit;
Gaudere uestem non solet cicadaq;
Vetustam, & anguis ponere ac relinquere,
Felix ubi annos exuit serpens nouus?
Prælonga non mutare lætatur nouo
Senex nouellis uere ceruus cornua?
At trister ipsa exire carcerem? aut ei
Non debeam, huius qui fores mi fregerit?

De D. Sebastiano Narbonensi, ac Martio Romano.

SEbastianus, atque Martius; duces
Fuere fortes, strenui, inuictißimi;
In concione utrique conspectum caput
Ardere flamma innoxia diuinitus:
Hispaniensis huic phalanx Quiritium
Ab Africani morte collecta patris,
Marcellianus, Marcus illi, & Martia,
Nicostratus, pulchra eius & consors tori,
Aliaq; gens Romana testis est grauis.
Sed, quòd beatam emersit ad uitam Deûm
Sebastianus, maior hoc est Martio.

Ad Io. Baptistam Pignam, Philosophum ornatißimum, Ferrariæ Ducis Secretarium, de pulcherrimo Theodori Hieronymiq; Florentiorum fratrum Mediolanensium horto.

BOnorum amice Pigna cunctorum optime,
Ferrariensis lumen urbis & decus,
Cùm fortè perlegisset oculis hortulum
Doctus meum Ruscellius, rogauit ut
Hunc mitterem tibi, dedito eloquentiæ
Et dotibus animi atque Musarum choris,
Prout herbulis Florentij & uirtutibus.
Quamuis stylo inculto hunc locum descripserim

Cultum, tamen negare amico nil placet.
Ne iure de me poßit ullus conqueri.
Eum tibi ergo lege mitto hac, ut mihi
Statim remittas posteà, quàm legeris.

CVLTISSIMVM *Musæ ô canamus hortulum*
In quo uigent tot arbores, tot herbulæ,
Florentiorum qui ædibus coniunctus est
In urbis editiore parte; lampade
Quem clarus oriens lustrat, & Sol occidens.

Horum domus quadrata forma & hortuli,
Vt saxum, ubi arx imposta Romuli fuit,
Sic est, per altam ianuam ingreßis uti
Septentrionalem ædium sese offerat.
Quadrata nobis porticus, pars tantaq;
Horti uirentis istius lætißimi,
Quanta aspici per ostium aduersum licet,
Xistum quod ingentem & columnas diuidit.
Istucq; procedentibus Solem comis
Prohibere densis feruidum uitis solet,
Opacà præbens hîc supernè umbracula.
Sed rore gemmans & recenti herba, uiride
Et pratum ocellos pascit, anni tempora
Quod totum odoris floribus pingunt. adhæc
Et uiticella frondium obtentu & simul
Iasminus huic admista inumbrat porticum
Ad dexteram, atque ianuæ alta limina.

At prata spacijs diuidunt æqualibus
Complurimæ arbores, ferentes aurea
Cultoribus mala meliora ijs, quæ draco

Seruabat Hesperi ipsius puellulis
Vigil prius, quàm eum Hercules extingueret.
Hæc consequuntur prata cancelli, qui eam
Ab hortulo domum atque septis diuidunt:
Quibus Valeri maximi sepulcra & hîc
Hicq; Pyladæ, quem amauit ingens plurimùm
Traianus Imperator, urna hæret uetus.
Oblectat horti prima pars, & aduocat,
Pascit, tenet, curam atque demit, & capit
Visum, uigorem reddit & membris suum,
Dum fraga Nymphæ humi & legunt nascentia,
Violasq;, spicasq;, & rosas, & lilia,
Floresq; uarios, ac olentes herbulas.
Hîc fons idoneus etiam nomen dare
Riuo, ut nec Hebrus frigidior & purior
Capiti & fluit uentrì atque plantis utilis
Et herbulis, quem nescit hora splendidum
Caniculæ flagrantis atrox tangere.
Quod non licet uidere transeuntibus
Herbæ genus florere in horto & hîc, & hîc?
Ridentem Acantum, admistam & huic Colocasiam,
Simillimam serpentibus Draconteam,
Ac Gentianam item Asiam, Plantaginem
Vnaq; pollentem, atque surgentem Alteam,
Saxifragam potentem & unà, & Simpaton
Potentiorem, & Dactylosam amabilem,
Nec non Dionæum & capillum, atque Ferulam
Florentem, & Acridium uuidum, atque Psilion,
Cui semen est publici admodum simile, admodum

Acceptum & infectoribus Fucum, & ferus
Quam repperit Centauream Chiron sibi,
Chelidoniamq; operosam, & Artemisiam
Aluo salubrem fœminæ, atque Gladiolum
Folijs acutis, atque Buglossum asperis;
Suauemq; Portulacam, olensq; te bene
Ros ò marine, dulcioresq; Peponas,
Phlogonq; pubentem, atque discoloribus
(Vt in polo) mirum in modum Irim floribus,
Calentem & Orchin, frigidum & Nastrutium,
Stratumq; humi Comidrion, atque Polion
Gratam Machaoni, optimum Thymumq; api,
Et mollem item Hyacinthum, atque Narcissum nimis
Serò comantem, Cimitiam ineptam, acreq;
Ligusticum, & dictam à salute Saluiam,
Atque Paliurum asperrimam, paßim uirens
Petrosilenon, atque Fœniculum altius
Surgentem, & unà tortiles Cucurbitas,
Perfusa Lethæo & sopore Papauera,
Atque folijs Lapatiam latißimis,
Porrosq;, uisum & quæ lacessunt Allia,
Cepamq; ferientem acri odore lumina,
Quamq; odit omnis sus Amaracum, & fugit,
Tanquam uenena tetra, crispam & Braßicam,
Qua nil ut ambrosia atque tincta nectare
Certè assolet uirere nobis dulcius,
Non uile olus Betam & Latinis, sed notam
Græcis, amaris atque fibris Intyba,
Longisq; Serpillum admodum radicibus,

Feruentem & Anesum, atque pergratum Herculi
Apium, minus Scyrpum atque nodosum, & Crocum
Rubentem, humillimam atque Casiam, Absynthia
Et tetra, quorum nos amaror tangere
Solet uidentes fortè misceri, Afrum item
Salubre, & Heliotropion simul, sua
Quod figit auctore in suo usque lumina
Volante curru per domos alti ætheris.
Referre quid pergam & Sinapim, & Tapsiam,
Et Carduos, & Ocimum, atque Capparem, &
Lactucam, & Asparagum asperis scapis, item
Maluas salubres corpori mortalium,
Siserq;, & infinita, quæ hîc sunt, gramina, &
Herbas uirentes, queis mala & depellere
Morbos solet mortalibus Pæon, quibus
Sanauit olim dura Ditis uulnera.
Iucundius hedera at nihil uidetur hîc
Accepta Iaccho, qua nouercæ olim puer
Contectus iræ fluctuantis æstibus
Crudelis impiam eius euasit manum;
Thyrsos & ornat hac, quadrigas, & feras,
Quæ parietem Australem istius totum loci
Ramis tegit lambentibus prorsum omnia.
Et magna genitrix te Deorum, & te Venus,
Et Pallada, atque Apollinem colit hortulus:
Cum Pinu, Oliua, Myrtus, atque Laurea,
Quæ terræ inerti uos dedistis munera,
Vobis uirent hoc in loco, quo non magè
Perculsit ullus urbis huius me hortulus.

Vos ergo, & aluo quæ laborantes prece
Audit uocata ter puellas, & adimit
Leto triformis Diua, & omnes cœlites,
Has si domos uidetis æqui & mœnia,
Lectißimis ô fratribus quæso & bonis,
Et Iuliæ uxori optimæ Hieronymi,
Et liberis fauete eorum dulcibus,
Fauete: morbos & pericla auertite
In ultimos, quæ monstra portendunt, Getas,
Et uestra feras haud colentes numina.
Bonaq; sospitate ciuitatem ope.
Meliora fata iam peractis iungite,
Insubrium rem semper in lustrum alterum
Meliusq; in æuum prorogate: & omnia
Nostra exitus uota ad bonos iam ducite, &
Pijs adeste, leto & illos surpite:
Et ferias præstate nobis non breues;
Sol almus ut, qui promit & celat diem
Curru igneo, qui idem atque nascitur alius,
Nil poßit urbe maius ista uisere.
Huc audeat redire Pax; plenißimo &
Appareat beata cornu Copia.
Hic sit quies, sit gaudium, & felicitas,
Sint carmina omni tempore & dulces ioci,
Sit dia uitæ dux uoluptas iugiter.

Ad Ludouicum Madrucium Tridentinum.

CVm sit mihi infestissimus qui uenditet
Et sese, & artem musicam,
Est præmium gratissimum tamen tuum,
Qui dixeris Laurentio,
Flores fuisse Spinulæ acceptos tibi,
Nos à te inisse gratiam.
Optata enim mercedula hæc est, quam sequor,
Et nostra amat quam Pieris.
Irata Musa & Phœbus est quàm maximè
Vendentibus poëmata.
Odere auarum cœlites: iubent sibi
Nos esse quàm simillimos,
Amare nos, & dona nobiscum sua
Communicare mutuò,
Vt lumini pes, ut pediq; lumina,
Aliaq; membra corporis.
Venalium sed ne poëtarum putes,
Vt Mutus est, me scrinia
Inepta compilasse, non addam tibi
Verbum amplius, præter uale.

De M. Antonio Gritio Veneto, clariss. Aloysii fil.

ANtoniorum non ita eloquentiam
Laudesq; miror bellicas, quàm Gritij
Prudentiam, rectum, atque pulchritudinem:

Vt Roma gloriatur illis inclyta,
Hoc sese alumno iactat ingens Adria.

PRO CONCILIO TRIDENTINO.

Spiritus alme polos, mare et implēs numine terrã,
Iam fractas hominum res & miserate labores,
Dum rabies & cæcus amor furit, horrida nobis
Hostis & humani generis dum concitat arma,
Concilio patrum faueas obsecro uocatus:
Discordes animos illorum & dexter amorem
Concilia arcanis tibi uocibus, incola mentis.
At uos ô patribus qui successistis eis, grex
Queis ita charus erat Christi, ut, quàm deserere illũ,
Maluerint mortem fortes occumbere acerbam,
Densus Hyperboreis en ponto uentus ab oris
Incubuit, toto differt qui nubila cœlo:
En Notus abruptisq; salum turbatq; procellis
Africus, & moles undarum ad sidera tollit.
Aspicite eripiunt nubes cœlumq; diemq;
Ex oculis: puppi nox incubat atra timenti.
En uastos Euri uolunt ad litora fluctus,
Atque ruunt imis turbatum à sedibus æquor.
Viribus utendum. consurgant ordine terno
Remi. uos omnes moueat commune periclum;
Ne in breuia & Syrtes pinus uergatur, arenæ
Aggere & immenso cingatur protinus, omnes
Aut pelagi insanis unà moriamur in undis.
Quaq; gubernator magnus, quà rex uocat ipse

Cœlicolûm

Cœlicolûm summus, facilem conuertite cursum.
Omnia ne euertat, patres, discordia demens;
Scindatur uestrum studia in contraria nemo;
Vnanimes Petri miseræ succurrite naui:
Feruere ne instructo uideam Mauorte superbam
Europen, sceleris uestigia at irrita Quarto
Rege Pio cunctas soluant formidine gentes;
Vt tandem Anguigerum, qui se cœlestibus æquat,
Iustitiæq; uiam nobis commonstrat & æqui,
Fulgere purpureo atque ardenti in lumine cernam.

Ad Carolum Viccecomitem, Episcopum Intemeliensem.

FOrtè tuis, oriente die, discumbere mensis
Ipse uidebar heri contra te, Carole, uersus
Dulcisono hos superæ canerent cùm gutture mentes;
Anguiger hoc hodie donatur munere præsul,
Anguiger imperio quouis & munere dignus.
Sustulimus cuncti mirantes lumina, & escas
Et uina obliti, cùm uidimus in caput istud
Et tibi purpureis contextam floribus atque
Auro cum baccis dimittier axe coronam,
Ac Primum æterno grates egisse parenti.
Exposui uisum Mocenico: reddidit heros,
Me uidisse tibi uerißima somnia, Olympi
Constituisse Deos in sedibus ista beatis.

De

De itinere suo Satyra.

FInibus egressum patrijs me Brixia diues
Mœnibus excepit, Corraro præside Paulo,
Tulli ubi nobilibus numerosa uolumina ad annum
Exposui. Prosper sapiens, Hieronymus Hugo,
Atq; propinquus Eques Marius, Marcellus & ipse
Hugo meæ uitæ patres, Diuiq; fuerunt:
Sordidus obliquis oculis ubi Mutius & me
Taygetus charta cimex læsere cacata.
Idibus Augusti miseros mihi at occupat artus
In Marij febris mox quartana ædibus amplis.
Accurrit seruus, meq; exuit, atque trementem
Collocat in lecto, multa & tegit illico ueste,
Pelleq; consequitur post frigora maximus æstus
Isq; calor, medijs ut in ignibus esse uiderer.
Sanctus Eques, casum lugens insontis amici,
Accersit medicos, febrem ut de corpore ducant.
Sanguine sed morbum hic, sine sanguine posse repelli
Ille inquit: febrem fore iudicat ille trimestrem,
Hic post quinque dies reualescet Publius infit:
Hic ait, ille furens negat: & mentitur uterque.
Lampade me sexta & decima seruauit Apollo.
Me uocat intereà Venetam Leonardus ad urbem.
Suadent ire Hugo, Prosper, Baitellus ad illum:
Discedo comites mihi Taxus, Porcius, Hugo,
Monsilicus, Guidoq;, & Cosmas; quem pia dulces
Fert profugum uatem natos Albana docere,

Qui

Qui dedit insipiens nobis risusq; iocosq;.
Lonatum his uenio, mox cœna apponitur. ad me
Guido & Monsilicus, contraq; accumbit ineptus
Grammaticus, Guido quem sic appellat; Amice,
Quid te discruciat? mentis quò te arripit æstus?
Non sibi comperio, dixit, constare Maronem.
Sed mihi, quæ dicam, declares optime Publi.
Incipe. Cùm Iuno Troianos oderit, idem
Principio libri ut narrat, cur deinde Creusam
Verba uiro inducit fundentem talia flenti;
Quid tantùm insano iuuat indulgere labori?
Non ipsa Argolicis seruatum matribus ibo.
Sed me magna Deûm genitrix his detinet oris:
Iamq; uale, & nati serua communis amorem.
Iuno Deûm genitrix Theucris en consulit. Heus tu
Dic ubi Iunonem reperis matrem esse Deorum?
Iam satis atque niuis, diræ & sat grandinis almæ
Telluri misit pater, inquit Horatius. ergo
Non sit cœlicolûm genitrix Saturnia? quando
Est pater illorum coniux Saturnius. Hugo,
Atque alij nequeunt mappa compescere risum.
Secreta stridunt & diuisi aure susurri.
Quid? ridetis? ait Cosmas tum percitus ira,
Seruius interpres exponere nescijt ista.
Spinula dic sodes, nimium non ardua sunt hæc?
Matrem Diuorum Cybelen dixere poëtæ,
Atque Iouem. mentiris Spinula, dixit
Grammaticus. cubito monet istum proximus Hugo,
Vt taceat tandem. furit ille magisq; magisq;.

Ebrius ut quondam Clitus; consurgit, initq;
Hospitium properans aliud furiosus, & amens.
Venimus egregium Veronam luce sequenti
Ad Dongellinum, nulli pietate secundum;
Integer hic uitæ, sceleris purißimus omnes
Vnus amatq; colitq; bonos, succurrit egenis,
Pauperiem gratis medicatur, non sibi solùm,
Verùm alijs etiam natus, patriæq; relictæ:
Quem genus inuisum Dijs odit, ferrea & ætas
Insequitur; superûm tegit hunc sed cura Deorum.
Atque erat humanus secum Fumanus, honores
Pierios qui urbi tribuens, uatiq; Catullo,
Aequiparat uatem cantuq; modisq; Catullum.
Ad cuius uocem requiêrunt flumina cursus,
Me spectante, secant quæ urbem puro amne decorã,
Dum comes illius sapiens Paduanius unà
Dixit Ioannes Lunæ, Solisq; labores.
Millia tum pransi duo repsimus, atque beatæ
Virginis alta simul submißi templa subimus;
Virginis hîc uarios faciem mutare colores
Persuadere cupit populusq; senexq; sacerdos:
Hîc Hugo, credat uulgus, non ipse, cruenti
Qui insidias hostis didici cognoscere, & artes.
Tendimus hinc turres, positas in finibus agri
Vicentinorum. iam nox induxerat umbras
Telluri, & cœlo diffuderat astra sereno.
Hîc ipse ob panem lapidosum, ut Brixia format,
Indico bellum uentri defessus auaro.
A' cœna Hugo inquit; Porci, uesane sacerdos,

Pensa precum quando curasti soluere Diuis?
Regis ubi cantus Hebræi? ubi quæso libellus,
In quo disposuit Psalmos sacra concio uobis
Ordine Dauidis? te CHRITVS *plectet iniquũ.*
Quid? uos consultos euertet, Porcius inquit,
Rex æquus Superûm; quoniam diuinaq; iura,
Ac leges hominum rescindit uestra cupido.
Cæsaris à magni non latis legibus omnes
Summam ad auaritiam desciscitis iniustorum
Prorsus uenales interpretum in his etiam, quæ
Sunt eius castis penitus contraria uerbis?
Quam lubet iniustum, aut sit quod decernitis æquũ,
Atque aduersetur decreto Cæsaris illud,
Maior sat uobis est conspiratio praua in
Iudicijs hominum uestris, queis cæcus habendi
Suasit amor cupidis sanctas euertere leges.
Vera sacerdotem conclamant cuncta locutum
Certatim Guido, consultus Monsilicusq;,
Hugonem reprimunt & dicere multa parantem.
His cubitum missis iam, Taxus dixit, eamus.
Atque tuas arces manè hinc Vicentia inimus;
Sole altos Patauí peruenimus inde cadente
Ad fluuios, nautis differtos, hospitibusq;.
Ad mare Monsilicus rapier tot millia rhedis,
Mallemus pinuq; alii omnes: uincimus ipsi.
Tum nautis Taxus, Taxo conuitia nautæ
Ingerere. exibo. decedas. ære minori
Conducam rhedas. istuc appelle. homines tot
Inseris ò caudex? uecors. est iam satis ohe.
Dumq;

Dumq; ligatur equa, & iurgatur, tota abit hora.
Postq; moram longam tandem discedimus istinc.
Auertunt dulces nautarum carmina somnos,
Atque uiatoris uoces, & rana palustris.
Oceanum intereà surgens linquebat Eous,
Cùm nauta & fessus cœpit dormire uiator:
Quò nil procedit linter. clamamus, & amens
Nauta uiatorem puerum mox increpat. ille
Fuste fatigat equam. Auroraq; hinc exoriente
Aduentamus eas sedes, quas incipit æquor
Alluere. exigiturq; æs. atque exponimur orto
Demum iam Sole. ac cymbas ut iniuimus, urbem
Adria mox salsis miram ostentauit ab undis,
Numina quam Diuûm posuerunt magna potentum.
Nobilis hinc subitò Leonardi tecta uenimus,
Aedibus exierat prima qui luce: disertus
Pulcher & occurrit nobis Aloysius, atque,
Dum pater aduen iat, dulci nos detinet istic
Sermone, his chartis modò quem subtexere non est.
Te Vincenti Equitem, peperit quem Brixia, uisi,
Ingenium cuius celebrabo, & multa trophœa.
Annum post decimum agnoui nonumq; sodalem
Hîc Constantinum dulcem, cognomine Cattum:
Huic ora obstupui rugam sulcare senilem,
Valde olim fueram quo adolescens usus ephebo.
O' qui complexus, & gaudia quanta fuerunt.
Postera lux oritur multò lætissima: nanque
Venimus Huraltum ad legatum denique regis
Gallorum; quo me nec sit deuinctior alter,

Quo nec terra uirum tulit ûnquam candidiorem;
Cuius uirtutes dicent mea carmina, & eius
Regem, qui Francis condet pius aurea secla,
Cùm firmata uirum sapientem hunc fecerit ætas.

Secularis carminis, cum aliis poëmatibus coniuncti, finis.

P. Francisci Spinulæ


MEDIOLANENSIS

DE PORCIA VICECOMITE,

Suaqꝫ Delia,

Libri sex.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS, Ex officina stellæ Iordani Zileti.
M D LXIII.

Iacobi Balamii, Romani, in Spinulæ elegos, diſtichon.

Hæc ego dum Romæ canerem numeroſa, Reuixit
Albius excellens, Albula flauus ait.

HIERONYMO LVCIAGO nobilissimo ciui Brixiano S. D.

P. Franciscus Spinula Mediolanensis.



Vm Fabio Cusano, Mediolanensi ciue uiroornatissimo, quoad uitam & spiritum duxit, mihi fuit olim magna necessitudo & familiaritas. Qui mecum sæpenumero cùm de Porciæ suæ incredibili fide communicasset, Barbonus meus, Henrico Galliam regente, mihi persuasit, ut eius amoris curriculum memoriæ proderem. Nunc uerò cùm acceperit Hieronymus Hugonius iuris utriusque peritissimus, me in præsentia opus editurum es-

ſe, mecum iam ſemel atque ite-
rum egit per literas, ut tibi in
primis hoc opus dicarem. Qua-
re ego, cui tuæ humanitatis nitor,
& ſapientiæ ſplendor ſingulari
cum liberalitate coniunctus lucet,
eius petitioni aſſentiendum eſſe exi
ſtimaui. Huc accedebat ſumma
Alexandri patris tui, clariſſimi ui
ri integritas, quippe qui ſeculi ſui
ciueis uniuerſos non modò iuris
prudentia, uerum etiam iuſtitia
omniq́ue uirtutis genere ſuperauit.
De quo quidem plurima Clau-
dius Piſcara tuus iuuenis elegans
uidelicet & generoſus, quæ à Ma-
rio patre ſuo audiſſet, mihi iſtic
ſæpe enarrans, Alexandrum fi-
lium tuum ingenioſum ad auum
ipſius eundem imitandum adhor-


tabatur. Sed, quòd ad uolumen hoc attinet, ne fortè me putes nouam fabulam commentum fuiſſe, inducito animum cuncta hæc, quæ fabulosè explicamus, non minus eſſe uera, quàm ea omnia, quæ de Lucretiæ Romanæ pudicitia in T. Liuij Patauini hiſtoria leguntur. Verùm, quoniam artis Muſicæ, ut ſentit Ariſtoteles, neruus eſt fabula, ita placuit in ſcribendo & modum & ordinem priſcorum poëtarum ſequi. At quanta ſit fortunæ uis & potentia, quæ uirtutem plerunque & uincit & opprimit, his in libris quinque licet uidere. Illud prætereà in ijſdem eſt conſideratione dignisſimum, eadem tempeſtate apud Inſubreis

meos & huius puellæ amorem, & Francisci regis arma inauspicatos habuisse exitus. Hoc igitur munusculum, quippe quod tibi largiri placuit, ita uelim tibi sit & gratum & acceptum, ut eorum studiis, qui literis delectantur, quomodo semper fecisti, fauere uidearis. Piscaræ & Hugonio salutem. Vale. Venetiis, Calend. Decemb.

CIƆ IƆ LXII.

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS ELEGORVM, DE PORCIA,

Liber primus.



Ad illustriß. & reuerendiß. D. D. Aloysium Estensem, Cardinalem ampliß.



NFESTIS *alij te Phœbe morentur in armis:*
Dent Musæ capiti mollia serta meo,
Qualis Callimacho uati fuit antè corona:
Nostra Philetæis ora rigentur aquis.
Non ego magnanimos Reges, non bella tubasq;,
At fidem inauditam uirginis ipse cano;
Quæ tam fida uiro fuit, ut descenderit Orco,
Plaga illum accipiens interiisse graui.
Plectra ferens adsis Erato, faueasq; canenti
Virtutem nymphæ, maxima Iuno, tuæ.
Tuq; adeò, sapiens Aloysi cura Deorum,
Siue mices inter lucida signa poli,

Siue procellosi uenias DEVS *æquoris ingens,*
Ac tua nauta uagus numina sola colat,
Cùm tua uentosum genitrix mirabitur æquor,
Et figet rapidas Delia nostra feras,
Hanc comites inter numerabunt secla Dianæ,
Aequoreas uiset Nereïs illa domos,
Quicquid eris, laudis quæro dum præmia, cursum
Da facilem, cœptis annue quæso meis;
Vt, dum percurrunt Elegi miserabile fatum,
Concordi ualeam dicere cuncta sono.
Est opus hîc lacrimis, opus est hîc carmine tristi,
Lugubri numero, flebilibusq; modis.
Coxerat & segetes iam tertia Solibus æstas,
Tertia iamq; acris præcipitarat hyems,
Cùm uirgo infelix Fabium non Porcia amantem,
Vrbe relegatum uiderat ægra suum.
Olim cœnobio muliebri inclusa, per hortos
Bacchatur miris tacta cupidinibus.
Non tunicas tenues gerit, exornat'ue capillos,
Non decorant passas florea serta comas;
Non cantus auium, non riui auertere curam,
Non uirides herbæ, lætaq; prata ualent:
Non noua lux oriens grata est, nec sidera noctis;
Luce cupit noctem, nocte cupitq; diem;
Illi & amara dies, & noctis amarior umbra est,
Et cuncta tristi tempora felle madent.
Iucundum nihil est miseræ: nam sola relicta
Seu foret, ancillis seu comitata suis,
Ipsius è nigris oculis aqua nempe cadebat,

Flebat

Flebat & incomptis uestibus atque comis;
Seu sueret tela, seu neret, iugiter albis
Humida siccabat lumina uelleribus.
Et quia abest, quod amat, dulce obuersatur ad aures
Nomen ei, & præstò sunt simulacra uiri.
Vota facit Diuis, queritur sua fata, uiroq;
Hæc loquitur fundens talia uerba suo:
Heu, flos Insubrium, iuuene ô formosior omni,
Coniux, quo uiuo uiuere dulce mihi est,
Nostri iam'ne tuo lapsi sunt pectore uultus?
En ego treis hyemes te sine, uita, fui.
Nec sine te possum, nec uiuere lux mea tecum:
Tecum iam Diui uiuere, dentq; mori.
Quando erit, ut Belli portæ compagibus arctis
Claudantur, Mauors intus & ore fremat?
Quando erit, ut redeas qui nunquam scribis, & ora
Atque oculos uideam sidera nostra tuos?
Aurea, dispereas ô Mars, qui secla fugasti,
Quiq; genus durum ferreus ipse moues.
Quæ Bellona homines primò inuitauit ad arma
Ista, fuit telo, digna perire suo.
Per te non redeunt hæc priscum tempora in aurum,
Per te non Italis heu datur ulla quies.
Quæ parit & bellum pereat uesana cupido
Regnandi, pereat barbara progenies.
Hispani pereant, & Galli, Germania & atrox,
Quòd uexant armis patria regna suis,
Qui requiem miseræ & uitam, qui gaudia, lucem,
Qui Fabij uultus eripuere mihi.

Optaui

Optaui quoties irata, furensq; periret
Misso Germanus fulmine, Gallus, Iber?
Optaui quoties, Niobes qui pignora fixit,
Traijceret telo gentis utrunque ducem?
Vt mihi iam Fabij contingeret ora uidere,
Eius & amplexu colloquioq; frui:
Vtq; iterum toto gens surgeret aurea mundo,
Regeq; Saturno ferrea desineret.
Saturni auspicijs sic ocia mundus agebat,
Hic foret ut leti non patefacta uia.
Non homo cœruleas pinu sulcauerat undas,
Nec merce externa presserat ille ratem:
Indomito nec frena momorderat ore caballus,
Nec fuerant fesso colla perusta boui.
Nullus erat limes patris infixus agellis;
Nec portam urbs habuit, nec domus ulla fores.
Vbera securis ouis ultro plena ferebat,
Et duræ quercus roscida mella dabant.
Terra tumescebat nullo serpente, gemebat
Nec circum rabies tristis ouile lupi.
Dux gregis inter oues somnum secure petisti,
Hostem nec timuit sima capella ferum.
Audierant nondum mortales tympana rauca,
Audierant nondum corde tremente tubas.
Non acies, gladius, non horrida bella fuerunt,
Non tam regnandi dira cupido fuit.
Nunc Ioue sub domino terras circumtonat omnes
Et mare, quæ gaudet sanguine, uirgo furens.
Non pax arua colit, non ducit sub iuga tauros;

Non

Non alit ô uites, dulcis Iacche, tuas.
Non unæ ſuccos condit, calcat'ue racemos,
Non pede ueloci pinguia muſta premit.
Ecce dolum pauidis meditantur retia ceruis,
Atque tibi pecudum grex lupus inſidias.
Occupat in tenebris ſitus & cum uomere falcem;
Infeſta & duri militis arma uigent.
Quid genitor cedit nato? quid tempora mundo
Aurea & omnipotens inquinat ære pater?
Aerea dehinc ferro quid durant ſecla reperto?
Vſque heu ſuccedent deteriora malis?
Felices homines, quibus illo tempore naſci
Contigit, optatis delicijsq; frui,
Cùm genus humanum dulces ſequeretur amores,
Diuitias temnens & diadema Ducum.
Illi grata quies; odio diſcordia, pugnæ,
Et bellatoris pila fuere DEI.
Tum paruis opibus quæuis contenta gerebat
Finitimis regio prælia nulla ſuis.
Aurea gens nôrat pueri ſolùm aurea tela,
Non fuerant cæco plumbea tela DEO,
Qui prius indocto in terris ſe exercuit arcu;
Sed nimium doctas nunc habet ille manus:
Nec pecudes tantùm petit, at fixiſſe uirosq;
Geſtit, & æternos perdomuiſſe Deos.
O' ſi me & Fabium genuiſſent talia ſecla,
Non ego tot luces te ſine, uita, forem.
Nunc etiam tumulo, uitæ quos tempore in omni
Coniunxiſſet Amor, iungeret urna duos.

Ferrea nunc ætas miseros distraxit amantes;
Nec tumultus nobis forsitan unus erit.
Quòd si illi reditum certo subtegmine Parcæ
Ruperunt, meipsam tartara nigra manent.
At faciant Diui, sint uera insomnia, nobis
Quæ tulit afflictis optima nocte quies.
Adsitis Superi, uerum ne auertite uisum,
Visa mihi in somnis exitus ipse probet.
Somnia mortales alios fallacia ludant,
Illorum & mentes falsa timere uelint.
Spem ueram efficiat noctis Lucina, uelitq́;
Iam nobis Stygios consuluisse Deos,
Si nullos homines unquam temeraria, demens
Cælandæ docui mystica sacra Bonæ,
Si nec sacrilegis patulas admouimus aures,
Dura nec in magnum soluimus ora Iouem.
Det DEVS, *ut sint hæc uerißima somnia nobis,*
Nec rapiat uehemens irrita uentus ea.
Nocte uidebaris mihi, lux, rediisse, meumq́;
Solari gemitum dulcibus alloquiis.
Hei mihi, sed uereor, ne illudant somnia amantem;
Sæpe homini fiunt somnia uera tamen.
Dum cubat Alcyone, Ceycis nocte perempti
Fluctibus huic uisa est tristis imago uiri.
Cur exempla petam Graiûm? Francisca sequenti
In somnis uidit cuncta futura die:
Huic Gabriel coniux est uisus Spinula nocte
Vrgeri pilis undique ab hoste feris.
Irim si nobis etiam, Saturnia Iuno,

Misisti

Misisti ad Somni limina cæca domus,
Consulat ut miseris, ut sint insomnia uera,
Mi quæ hesterna quies dulcia nocte tulit,
Ipsa colam, ut facio, in primis tua templa, tibiq;
Augebo uotis sacra parata nouis:
Discutiam pura somnos primùm mihi lympha,
Tota hinc nocte focis inuigilabo tuis.
O mihi conserua dulcem, Dea, quæso maritum.
Si uiuet, uiuam; si cadet ille, cadam.
Tu quoque si faueas timidis ô Cypria uotis,
Concidet ante aras hostia cæsa tuas;
Tresq; dies pueri dicent tua numina casti,
Naribus & duces plurima thura Venus.
Quando erit, ut cœlo iucundus luceat ignis
Hesperus, ac subeam limina, quæ cupio?
Quando erit, à teneris ut dicatur Hymenæus
Virginibus, sedes ingrediarq; Fabi?
Quod si fata negant, & ferrea pensa sororum,
Luridus in Stygias me uocat Orcus aquas.
Sed mihi quid uolui? quid ago? cuncti quod amantes,
Quæ prosunt, fugio; quæ nocuere, sequor.
Odi, qui properant medici me arcere ueterno.
Sum leti infelix ipsa ego causa mei.
Hancq;, ferens iuuenis duros in corde dolores,
Non minus optat, amat, somniat interea.
Flentem ut Honoratus uerbis nec Spinula amicis
Solari ualeat, nec comes Hector eum;
Dum socij, Genua Insubres quos alta tenebat,
Vrbe relegatos, atria suspiciunt,

Dum

Dum mirantur opes Leonardi patris, & aulam
Ingentem, Heroum miraq; facta patrum.
Nempe aula hæc priscis hominum uariata figuris,
Mira uirtutes indicat arte uirûm.
Nanque inuictus Otho ille, & nostræ gentis origo,
Anguigeræq; tuas deserit Ister aquas.
Qualia nos gerimus dux hic quadrata per hostes
Horridaq; arma uolans nobile stemma gerit,
Qualia Germanus Clues insignia præfert
Dux hodie clypeo, qualia Gallus habet.
Atque hic Otho nostras tenuit magis inclytus oras,
Insubribus patrios posthabuitq; focos.
Nicoleos eius soboles & Belus in hostes
Italiæ sæuos arma cruenta gerunt.
Belo ortus Ligurum saxosas migrat in oras,
Spina ubi quadratis addita nempe fuit,
Primus & hinc Gaspar cognomine Spinula dictus.
Nostram urbem mauult frater habere Petrus.
Anguiger hos & Otho sequitur, spoliisq; superbus,
Hoste à barbarico rapta trophœa tenens.
Fundit Otho Antistes, Matthæus fratreq; natus
Præcipitem Napum, Turrigerosq; duces,
Dum parit ô gallis Magno cantantibus uxor
Te Galcati Heros fortis & armipotens.
Actius ædificat Palatia, Episcopus & rex
Hinc patrum Ioannes ad patrem adire parat.
Pòst regit Insubres Pulcher Galeatius unà
Cum germano, & ab his Itala regna timent:
Petrarcha excipitur uates Hetruscus ab illis,
Exul


Exul qui patriæ tecta redire cupit.
Vincit Ioannes socerum Galeatius, atque
Crudelem Marium, teq; Philippe creat:
Huius Gallorum regi formosa locatur
Nata. petunt Galli debita regna sibi.
Sfortia Franciscus soceri diadema Philippi
Astutè inuitis eripit Insubribus.
Quem furor urit amorq;, extinguitur inclytos Heros
Natus eo; atque auctor perditor ipse necis.
Inuidus ut sceptrum teneat cognomine Maurus,
Dat patruus iuueni tetra uenena bono.
Magnanimus Gallus regi coniunctus Ibero
Alphonsum euertit, Parthenopenq; capit.
Præsulis hinc sapiens Petrus aulæ frater Othonem
In parte extrema comminus alloquitur.
Atque genus Petri patruelem Gaspara patrem
Vberti Magnus accipit egregius.
Vberti natum Lucas & Gaspara fortis
Alloquitur, qui te caste Philippe creat.
Gignit Ioannem hic Marium, qui Cæsaris ingens
Est genitor, Cæsar qui dedit Anguigerum,
Quem sacra Insubribus lugentibus infula texit,
Quem patrio eripuit Roma superba solo.
Cum duce Francisco loquitur dehinc Spinula, nato
Deduxit nomen qui pius à Domino;
Antoni qui te generat pater infelicis
Eius Ioannis, qui mihi dulcis auus:
Edidit hic patrem Gabrielem. cætera dumq;
Perlegerent oculis, euocat hos Fabius;

Cum quibus ad portum lacrimans descendit: amicos
Venisse Insubres nuncia fama refert.
Atque, in cœnobio queritur dum Porcia, Iuno
Extemplo uotis annuit ipsa suis.
In patriam redeat Fabio permittitur urbem:
Quò simul aduenit, illico adiuit eam.
Quæ per cancellos, serua comitata fideli,
Dum ueniens ipsum læta puella uidet,
Ecquis hic est? dixit. teneas me, serua, cadentem;
Mœror ut eximius, gaudia magna nocent.
Non minus ipse uidens iuuenis turbatur. at illis
Vt uox est tandem reddita, uterque sedet.
Cancelli impediunt amplexum atque oscula: deflent,
Coniungunt dexteras, fœdera prima nouant;
Dantq́; fidem sibi, & accipiunt, cùm Porcia iurat
Nec se, quàm Fabio, nubere malle Ioui;
Cùm Fabius, Partu dum non deludet arantes
Falso ager, & fuero dum memor ipse mei,
Dum mare turbabit nautis infestus Orion,
Hic erit, ô uirgo, mutuus, inquit, amor.

Elegorum primi libri finis.

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS DE PORCIA,

LIBER II.



Ortè die ad Fabium *festa se contulit* Hector,
Et patriæ consors exiliiq; sui.
Dum simul à cœna ciues spatiantur, in horto
Buxifero Tonsi *uatis uterq; sedet.*
Cur tua dic obiit? Fabius *rogat.* Hector, *Amicæ*
Me sic Balbæ *acer, dicit, edebat amor,*
Sæpius ut iuuenes illi in tunica esse putarem,
Me & puer in cunis læderet absque sono,
Læderet ut facies pueri & depicta puellæ,
Formosiq; homines, & simulacra Deûm,
Læderet ut tangens dextra illam dulcis amica,
Atque illi figens oscula Paula *soror.*
Quin rebar falsum hanc sibi fingere sæpe propinquũ,
Basia ne deesset qui sibi iure daret.
Non ita dicebam demens, non Thaïdos *olim*
Complebat uacuam Græcia *tota domum,*
Non sedem aut Phyrnes *formosæ, aut* Laïdos *ædes,*
Quam referunt urbem composuisse suam.
Istis quid mauis oculos offendere nostros?
Mutanda est ratio Balba, *modusq; tibi.*

Si fleret, Timidus sum, addebam, ignosce timori,
Est securus iners; qui timet, ille sapit.
Ne quis amet nostros uereor, lux uitaq́; amores.
Ad multa his uentum est prælia principiis.
Quid tibi deletæ his uitijs tot funera Troiæ,
In socium & Thesei pocula fracta canam?
Iucundum at miseræ nunc illi lumen ademptum,
Cui timor hic noster causa perire fuit.
Tu, quoties dixi sobrino illius ineptus?
Succis perde mihi pectora mortiferis;
Me, me perde fame, uel, si libet, ense cruento:
A' Balba tantùm tolle te amice mea.
Quin rebus nostris admitto te omnibus unum,
Te socium uitæ & corporis esse licet:
Te, Birage, toro solùm te deprecor unum.
Hector riualem non feret ipse Iouem.
Huic Fabius contrà, Me, dicit, candida cœpit
Prima oculis miserum Porcia uirgo suis,
Ex quibus, æthérios cùm uult exurere Diuos
Igne, Amor accedit lampadas ipse duas.
Illius ut fixi uultus in imagine, forma
Quæ uisa est superas æquiparare Deas,
Oraui ut facerent oculos me numina totum:
Serua erat & pueris hæc comitata tribus.
Quæsiui à puero, Quæ porticus integit istam?
Et campo celeres quo mouet oro pedes?
Nobiscum uenias, inquit; sequor. officiosus
Extemplo & campos indicat, atque domum.
Tum tria, complebamq́; decem annua tépora: lustris

Ipsa erat æqualis penè puella mihi.
Hic tibi quid referam diuinæ frontis honorem,
Candida membra eius, purpureasq; genas?
Non cedit Diuis, Phrygius quas ponere uidit
Idæis pexas uerticibus tunicas.
Præstabant cunctis illæ tum: secula nostra
At magè formosas nunc peperere Deas.
Pulchrior est oculis hæc nostra puellula Phœbi,
Ipsæ quàm Charites; Gratior una tribus.
Non alia in terris facies humana moratur,
Diuos quæ & poßit urere, ut ista, Iouem.
Ischomache sicut Centauris grata rapina,
Componit, sicut casta Minerua, latus.
Et, Iouis ut coniux, incedit maxima toto
Corpore: longa manus, totaq; fulua coma est.
Eius iucundis mira haud deest gratia uerbis;
Omnia quæ Pallas, quæ Cytherea probat.
Atque illi donat sua carmina Phœbus Apollo,
Et docta Aonias Calliopea fides.
Sirenum uoces superat, quæ cantibus olim
Sisyphidæ illectas detinuere rates.
Personat & cithara, & genialia nablia uertit,
Cum uoce & digiti sæpe loquuntur ei.
In choreis omnem Cypriam mea Porcia sola
Saltando uincit mobilitate pedis,
Et manuum uincit gestu; seipsam quoque uincit,
Vertendo uincit saltibus organicis.
Lesbium & illa pedem seruando & pollicis ictum,
Vrit, dum saltat, dum canit, atque sedet;

Vrit, ut incendunt rapidæ ipsa altaria flammæ,
Cùm cadit æternis hostia cæsa Deis.
Scribere scit rectè, longis rationibus assem
Assolet in partes ducere mille quater.
Sit quibus illa meæ semper gratissima uitæ
Ampla comes, si sit forma pudicitiæ,
Oraui, uotis atque annuit ipse Cupido;
Mutua nempe puer uincla parauit ei:
Nanque meis uotis respondit; digna marito,
Cùm digno, ut licuit, tanta puella fuit.
Magni contulerunt tanta illi munera Diui;
Post Venerem hæc nobis forma secunda redit.
Gloria tu nostris tu sola es nata puellis;
Sola es cum summo digna cubare Ioue.
Non dabit humanos semper tibi uisere lectos
Hic, tua qui nobis inuidet ora, pater.
Ista salutanti arridens mihi sensit amorem;
Scripsi illi subitò, scripsit & illa mihi.
Protinus incendit flammis utrunque Cupido,
Atque Venus messes urit acerba suas.
Arma DEI *feriunt animos facientia amorem,*
Aurea tela suos, aurea tela meos.
Plurima donauit nobis, monilia: contrà
Nos duo, odoratas misimus & manicas.
Ac, ne deprendi possent mea scripta parente,
Mox telam capsæ desuit illa suæ,
Imposuitq; notas tabulam duram inter, & ipsam
Telam, dehinc prudens ostia facta fuit.
Qualis flamma furit, si dulce infundat oliuum

Seruus,

Seruus, ut extemplo cœna coquatur hero,
Creuit amor noster, simul est data copia fandi.
Vnum animum ex binis mox Erycina facit.
Datq; fidem mihi, doq; fidem illi mutui amoris
Perpetuò nobis fœdera sancta fore.
Per Venerem iurat, natiq; Cupidinis arcus,
Quàm mihi, nec magno nubere malle Ioui.
Per Venerem iuro, natiq; Cupidinis arcus,
Quàm se, nec Cypriam ducere malle Deam.
Ambos una fides, aio, lux auferet una:
Cunctæ aliæ ualeant. tu mihi sola places.
Ingeniosus erat nostra tum pictor in urbe,
Doctoris doctor magne Figine tui;
Qui uultus hominum uiuos fingebat, Apelle
Non minor, & Nicia, maior & Antiphilo.
Hunc ego consensu dominæ rogo, ut exprimat eius
Vultus in fano, dum sacra manè colit.
Est locus in templo, Viridaria quod uocat urbis
Vulgus, ubi flamen sacrificare solet,
Non satis illustris locus; istic parte sinistra
In tenebris humilis fortè fenestra fuit.
Porcia ad hanc supplex orabat numina Diuûm:
Hinc nulli uisus pictor adornat opus.
Proximus ad dominam uiuacia lumina, frontem,
Et simulat uultus, effigiemq; Deæ.
Pictura crines flauos imitatur, & ora
Et nigros oculos, pectora, menta, genas.
Atque hinc cùm patria demigraremus ab urbe,
Tum diuinum opifex perficiebat opus.

Hanc grauis intereà patruus me accepit amare;
Aduocat, & quærit, hanc'ne ego deperéam.
Hanc ego depero, dixi: sis fautor amanti.
Increpat is, iungens aspera uerba minis.
Ast ego; Quid faciam? respondi; pectora cuius
Non minus assiduè feruidus urit Amor,
Quàm Nilum, quē aiunt collectam Aesopide flammã
Vincere gurgitibus non ualuisse suis.
Conuenit ille furens genitricem Virginis, ista
Quæ ignorabat adhuc, & mea dicta refert,
Me scripsisse notas, torques donasse puellæ,
Et manicas: fleuit, ingemuitq; parens.
Vt sæui Tigris, Venator pignora durus
Cùm rapuit, furem persequiturq; uolans,
Corripit ad natam sese. ostia Porcia claudit:
Pulsat, præclusas frangit & ira fores,
Atque furens mox irrumpit, capsamq; repente
Natæ aperit. lacrimat filia. mater ait;
Sacrilega insanis? iam, iamq; infamis amare
Ipsa audes? Vbi sunt munera missa tibi?
Virgatus calatus custodit mollia lanæ
Vellera marmoreos ipsius ante pedes:
Mater & hunc irata euertit, nil uidet ima
In parte, ad capsam mox furiosa redit.
Qualis Luna rubet cantata, Aurora'ue manè,
Ora uiri informis cùm cariosa fugit.
Erubuit talis subitò, terramq; puella
Spectauit: genitrix, ut lea torua, furit;
Inuentum arripuit torquem, capsæ atque fideli

Sub

Sub tela clausæ delituere notæ:
Cælat odoratas manicas puluinus. aperta
Ex arca effundens omnia, mater ait:
Da mihi da manicas, scripta, & munuscula amantis
Missa tibi. nata hæc tristis habere negat.
Rusticus ut durus, qui tristia prælia quærit
Vxori iratus, cædere cœpit eam;
Nec parcit nexos furiata mente capillos
Carpereq́; & flauas dilaniare comas.
Quid tibi non cura est famæ iactura pudicæ?
Quàm tota est de te rumor in urbe bonus.
Rumorem hunc nostras non credis lædere ad aures?
Hæc nulla est, inquit, fabula pœna tibi?
Sicq́; meo perit indicio, & dat criminis illa
Alterius pœnas, stultitiæq́; meæ.
Ac, ueluti rosa nocturnis agitata procellis,
Et matutinis imbribus, atque Noto,
Demittit caput effundens graue pondus, onusta
Rore, suum retinet flos tamen ipse decus,
Sic ipsa illacrimans diuinæ frontis honorem
Non minuit, proprio Diua colore nitet.
Turgidulos uideas flentem demittere ocellos,
Nec frangi uires, nos & amare magis;
Vtq́; magis flammas incendunt flamina uenti,
Vritur aduersis Porcia uirgo magis.
Porcia uirgo magis uexata hunc ardet amantem,
Ac temnit matris uerba, piliq́; facit.
Quin iacturam etiam famæ, & grauium unius omnes
Assis rumores æstimat illa senum.

Qualis equus nitens contra sua fræna, uiroq;
Sæpe reluctatur, fulminis itq; modo,
Interdicta cupit domina, atque ardentius optat;
Omnibus inuitis nos amat illa magis:
Atque ait, Indicibus contingat maxima, quæ Io
Custodi, & tibi quæ Tantale pœna fuit.
Supplicium hi grauius mihi dent, q̃ Nympha, sorore
Cui de Iuturna lingua resecta Ioue est.
Cœnobio hanc claudit mater, ne cernat ephebum:
Ipsumq; hic melius, commodiusq; uidet.
Dum gemit & queritur lacrimans, ego non mihi desum,
Corrumpo matres illico muneribus.
Dona precesq; mihi referarunt ostia clausa.
Quid sit opus docet hic ingeniosus Amor.
Abdita ab hoc puero Danaë, conclusaq; turri
Vndique multiplici cardine, tuta fuit.
Hic dominæ uultu saturantur lumina: consors
Vna aderat lecti nigra catella sui,
Cui tacitus, Felix ô terq;, quaterq; beata,
Cui datur ad Venerem nocte cubare meam.
Quid sit passa mihi, quid sit passura fideli
(Si sit opus) pro me, dulcis amica refert.
Ipse precor diras patruo, matriq; puellæ,
Eius qui tanti causa fuere mali.
Non letum fugiam, dixi, lux & mea uita,
Non letum fugiam morte subire tua.
Vxor nulla sibi, nulla & me ducet amica;
Cunctæ aliæ ualeant: tu mihi sola places.
Sed uereor, Mauors ne nos disiungat amantes,

Si

Si quos iunxit Amor, diuidet ille tamen.
Quis nos diducat? neque enim diducere amantes,
Vt nos, inuitos numina magna queunt.
Dicere plura uetant lacrimæ, dulcissima coniux.
His dictis, postquam fleuimus ambo diu,
Per cineres, inquam, iuro, perq; ossa parentis;
Si fallo, cinis heu sit grauis ille mihi,
Per Venerem, puériq; arcus, per sidera iuro;
Si fata eripient te mihi, turtur ero.
Aeace me damnes, nec non mea pœna rotetur
Inter aues Tityi, sim sine fine miser,
Sisyphioq; geram lugubris saxa labore,
Nos si unquam per me diuidet ullus homo.
Te nunquam exitio nostro si nata theatra
Corrumpent, mihi eris charior his oculis.
Candida si qua sedet mulier non pectore tecto,
Seu uirgo dulces incinit ore modos;
Siue uagi formosa errent in fronte capilli,
Hic uulnus quærunt lumina nostra sibi?
Quæ tua prima fides, talis si erit ultima, semper
Non potero ingenij non meminisse tui.
Hæc licet accuset connubia dura senectus,
Propositum nobis usque teramus iter.
Non nostræ antiquis onerentur legibus aures;
Cypria quas temnit, quas puer odit Amor.
Per Veneremq;, suam & Iunonem Porcia iurat,
Quæ sola ante alias est sibi magna Deas;
Perq; Deos omnes, si se petat ipse Deûm rex,
Quàm mihi; nec magno nubere malle Ioui.

Discedo


Discedo lacrimans, lacrimantem linquo puellam:
Vrbe relegamur à patriaq; breui.
Victore absuimus tres annos hoste, gementi
Sola ubi lux uisa est millia secla mihi.
Non te deperijt sic Delia pulchra Tibullus,
Non sic flet Caluus funera Quintiliæ,
Non sua sic Stygijs lauit qui uulnera lymphis,
Cùm propriam Diuæ fleuit amore necem,
Depereo ut Fabius pulcherrima lumina, compar,
Lumina formosæ sidera nostra Deæ.
Respexit Deus, ad patriam conuenimus urbem,
Vidimus & faciem Porcia uirgo tuam.
Sed mihi adhuc timeo, mala ne discordia ab oris
Diuellat patrijs, à dominaq; mea.
Viuis adhuc ciuis male Horati, uiuis & Hermes,
Et nata exitio gens inimica meo.
Non est exilium graue, & ipsa pericula belli,
Non pugna grauis est militiæq; labor,
Sed graue mi tantùm est hîc solam linquere amantē,
Hoc tantùm absque mea uiuere luce graue est.
Quæ nulli pepigere uiri, haud pepigere parentes,
Quæ pepigit Iuno, quæ pepigitq; Venus,
Si desponsa suis firmet connubia flammis
Hesperus, huic soluam uota repente mea.
Quæ genero sua iura mihi cum dote dederunt
Cœlestes Diuæ, munera multa ferent.
Parce timere Fabi: nobis hæc tristia Diui
In melius uertent omina, compar ait.

Elegorum de Porcia libri secundi finis.

P. FRAN-

P. FRANCISCI SPINVLÆ MEDIOLANENSIS, DE PORCIA,

LIBER III.



INC Fabium inuitum contraria factio cogit
 Diua iterum patrios linquere flente lares.
Tum Petrus ductor Gallorum maximus ipse
 Germanus Fabij Regis amicus erat,
Regis Francisci, cuius laudesq; manebunt
 Regis, honosq;, colet dum iuga montis aper,
Dum uehet Eridanus lymphas, dum robora syluæ,
 Dum pinu æquoreas nauita arabit aquas,
Magnæ dumq; cadent altis de montibus umbræ,
 Dumq; suas curret menstrua Luna uias.
Illius dicent seri nam facta nepotes,
 Et ducent animos lucida in astra suos:
Prælia laudabunt, iniustam eiusq; dolebunt
 Fortunam cœptis sæpe fuisse bonis.
Et natum Henricum Francisco, laudibus altum
 Henriciq; genus secula cuncta ferent.
Ad Martem huc ueniens Fabius tua castra cupido
 Inuitus, lucem deseruitq; suam:
Aegræ cui tristi turbato uulnere mentis

Formosum stricto Mars petit ense caput.
Cæsaris horribili dum stridet buccina cantu,
Bombisq; inflantur cornua raucisonis,
Armatum fratrem in Martis certamina ducit
Petrus, & Hispanos ense ferire iubet.
Vt cœpere suis acies concurrere signis,
Ac ruere hinc Gallus fortis, Iberus & hinc;
Obruere ut telis sese, miscereq; Martis
Vt furor aduersas cœpit utrinque manus,
Castra inimica ferox iuuenis contundit; at hostis
Ipsius læua tempora parte ferit.
Petrus adest, iuuenem sæuo eripit hoste cadentem,
In turbata humeris castra reportat eum,
Commendat famulis; rediens ad prælia in ipsum
Incidit auctorem uulneris, aggreditur,
Traijcit illius iugulum mucrone; animamq;
Cum multo moriens ille cruore uomit;
Retrorsum infelixq; ruit, ceciditq; supinus,
Atque hæsit sellæ sanguinolentus equi,
Pòst ruit in campum. concussa est pondere tellus;
Moxq; artus & dant arma cruenta sonum.
Gens sua flet cernens de tristi hunc ire caballo
Præcipitem in terram per caput atque pedes.
Dij Petri iuuere manum. desecta repente
Ceruix illius sanguine lauit humum
At fuit excellens Fabij plaga, illius ut sit
Desperata salus omnibus, atque sibi.
Castris effertur subitò. huicq; silentia Drusus
Indixit medicus, strataq; dura dedit.

Atque

Atque uiro intereà maturam sæpe puellam
A bona in urbe petunt mille parente proci:
Quos omnes uideas illam contemnere, frænum
Respuit ut tenero de grege captus equus.
Despicit ad surdas quicquid sibi dicitur aures,
Nec dubitat sponsi de grauitate sui.
Sæpius oranti genitrici nata, nec ipsum
Præ Fabio, dixit, uelle tenere Iouem.
Felix Hippolyte, galea quæ tempora texit
Mollia, quæq; tulit fortibus arma uiris.
Atque utinam nobis hodie sic castra paterent,
Vt Fabianæ essem pars ego militiæ.
Africus in glaciem uertit cùm frigore lymphas,
Tardaret ne me Gallica terra quidem.
Quid? mihi si Fabium crudelia fata negabunt,
Mox ueniam ad manes, ad Stygiosq; lacus.
Quid uesana tuas sic torquet flamma medullas?
Cypria non uotis annuit ipsa tuis.
Ecce sinistra canit cornix tibi ab ilice dura;
Quem petis, hunc Fabium non tibi fata dabunt.
Non tibi fata dabunt tota producere uita,
Quod cupis, hoc sanctæ fœdus amicitiæ.
Cur tot amatores contemnis, totq; maritos?
Quis tibi quis flammæ sedulus addat aquam?
Dum licet, infelix istam uirgo exue mentem;
Dum licet, infelix heu miserere tui:
Dum licet, insano quæras medicamen amori;
Dum licet, ô rebus consule Nympha tuis.
Curanda hæc properè sunt uulnera cæca: petita

Profuerit serò nil medicina tibi.
Verte aliò mentem, absterre & tibi pabula amoris.
Cur ea uis solùm, quæ tibi fata negant?
Aut aliò debes animi traducere motus,
Aut nulli omnino nubere uelle uiro.
Quid seris in pulchro spinosas pectore curas?
Quid'ue aduersatur sic Erycina tibi?
Quid geris indomitos insana in corde furores?
Quid bona arenosum Porcia litus aras?
Quid uirgo molire? quid impendentia tentas
Consilio incassum rumpere fata tuo?
Sed quid ago? celeres quoniam quæ dicimus, amens
Atque insana, ferunt diripienda Noti.
His quoniam tardas monitis aduertis & aures,
Hæc olim referes uerba dolore graui.
Nam tibi cùm feriet Cusani nuncius aures
Horribilis miseras, irrediuiua cades.
Fama tenax falsi, quàm ueri, infecta canitq;
Factaq;, Cusanum disperijsse bonum.
Fœda uirûm paßim Diua hoc diffundit in ora
Paulatim; cœli nocte uolat medio.
Hæc aurem ut pepulit crudelis nuncia amantis
Continuò miseræ deserit ossa calor:
Lana cadit manibus (nam fortè puellula nebat)
Extemplo, ante oculos nox stetit alta suos.
Innitens sellæ pallet, moriturq;: supina
Sella retrorsum deficiente ruit.
Labuntur uestes, strophiumq; è corpore paßim,
Subtilis flauo uertice mitra cadit.

Aequabat

Aequabat quod opus decerpens dentibus albis,
Aridulo hæserunt lanea morsa labro.
Accurrunt quæ aderant, collapsa & membra puellæ
Suscipiunt celeres, quæ iacet exanimis,
Marmoreæ ad templum referunt cellæ, atq; reportant
Hæc subitò stratis mollibus, atque tegunt.
Dumq; aliæ miseram solantur, diluit eius
Vultum frigenti seruula tristis aqua.
Reddita paulatim lux est, tandemq; reuixit,
Attamen ipsa sui uix meminisse ualet.
Qualis, cùm prima pelluntur luce tenebræ,
Aurora dubia est adueniente dies,
Finguntur species quædam, ægri ut somnia, uanæ
A' diua, & nescit uerane prospiciat:
Et dolet, & quidnam doleat, non percipit amens;
Tristitiæ & causam cogitat ipsa suæ:
Et stantem ancillam, matres & prospicit ægras,
Euæ bacchantis saxea ut effigies.
Cùm redit ad sese, uulnus renouatur & angor,
Suspirat tantùm sæpius, atque gemit.
Curarum insanis amens ita fluctuat undis,
Augeat ut gemitus, augeat utq; malum.
Atque diu lacrimas suspendit: fletibus ora
Hinc tota, & uultus, atque cubile rigat.
Seruarum nulla admittit solamina; & omnes
Infirma, ut taceant, admonet ægra manu.
Seruula, quid fieret, genitrici rettulit ipsi:
Mox uenit ad sacras exanimata domos:
Cùm nata lacrimat dulci, causasq; requirit

Incassum

Incassum gemitus, muta puella flet.
Flent simul & famulæ, flendo & ne transeat olim
In fontem, ut Biblis, aut Arethusa, timent.
Flauentes uirgo infelix abscissa capillos,
Percussa & pectus terq; quaterq; manu,
Luctibus indulget, tenuem laniat sibi uestem,
Duro purpureas & notat ungue genas.
Vt desperatam conspexit mœsta puellam,
Hanc ædes mater transtulit in patrias.
Muta fuit luces octo, atque insomnis abhorrens
Bacchi, tædiferæ muneribusq; Deæ.
Vixq; coacta sibi per inania guttura passa est
Demitti à serua, matre iubente, cibum.
Nox erat, & lecto mater demiserat artus
Cùm pernoctaret seruula sola uigil,
Et syluæ & saltus atque æquora sæua quierant,
Cùm medium inciderent sidera lapsa mare,
Cùm latè omnis ager, cùm sordida rura tacerent
Et Regnum turres, atque taberna fabri,
Cum pecudes, iumenta boum, pictæq; uolucres,
Quæ paßim & dumis aspera rura tenent,
Quæq; lacus liquidos, curas oblita laborum
Cordaq; lenirent, pressa sopore graui.
At non infelix animi, non Porcia dulces
Soluitur in somnos exanimata malis.
Ancilla exierat, cùm longa silentia tandem
Hoc tristi rupit mœsta puella sono;
(Huic dedit ancillam sermoni Fors bona testem,
Audijt hæc astans comminus ante fores;)
Nunc

Nunc igitur coniux non est dulcißimus usquam?
Nunc igitur Fabius nullibi, dulcis amans?
Vnde mihi miseræ tam fortem, tamq; fidelem?
Sed minus in uotis uir, neque uita mihi.
Crudeles Diui. quid tartara nigra uidere,
O' uirgo infelix, quid'ue morare mori?
A' latere his dictis petitur mox spiritus imo:
Huicq; addit lacrimans; Occidit heu mea lux;
Occidit heu mea lux: quid adhuc ô Porcia uiuis?
Quid'ue ingrata trahunt & tibi fila Deæ?
Atropos ô (si qua est pietas) inuisa resolue
Stamina Diua precor dura, resolue mihi.
Iam mortis pœnas mors altera finiat oro.
Luce mea perij dispereunte semel;
Nunc iterum liceat crudelem abrumpere uitam.
Hora sit heu tantis ultima nulla malis?
Iam mihi concedas Cusani coniugis Vmbræ
Expectata oculis ora uidere meis.
Qui mihi Pygmalion mucrone occidit amantem,
Ense illo miseram me quoque traijciat:
Vt poßim infelix Dido altera abire Sichæi
Coniugis ad manes, Elysiisq; frui.
Ni facit hoc, mea consciscet mihi dextera certè
Mortem, sicq; Vmbram protinus Vmbra sequar.
Vel sæuos angues manibus tractabo, feriq;
Corpore serpentis tetra uenena bibam;
Vt fortis regina, nouo priuata triumpho
Nollens deduci non humilis mulier.
Vel pius ô nostri si quis DEVS ultor amoris,

Hunc durum telis uindicet ille suis.
Has quæso inferias Fabij det protinus umbris
Diuus, quem nobis consuluisse iuuat;
Aures, huicq; manus crudeli uuulnere cædat,
Effodiat gladio lumen utrunque suo.
Qui lucem extinxit, uitamq;, & spem mihi, per quē
Rursum, quæ perij, sum peritura breui,
Vt Bellisarus, Cæsar cui lumina quondam
Eruit ingratus, non sua iura tenens,
Vt duo Phineidæ, plectatur nocte peremi:
Huic premat aßiduus tristia corda dolor.
Nostri in perniciem generis deiecta ab Olympo,
Hunc Ate studeat funditus eruere,
Hunc Diui exagitent; & sit tonsoribus unus
Et lusus lippis omnibus atque iocus;
Fabula sit uulgi, mendicet tempore in omni;
Atque uicem doleat nullus in orbe suam:
Vt sua (si coniux illi) discrimina tanta
Cum natis subeat, quanta misella fero.
Hunc pater omnipotens occidas; huncq; caduco
Hunc iracundo fulmine sustuleris.
Villacum ut subito terræ urbs est obruta motu,
Hunc humus & natos obruat atque domum.
Atque ubi torquentur sontes, ad tartara nigra
Descendat, campis exul ab Elysiis.
Solius in pœnas furiæ tres, Aeacus unà
Incumbat: uersent hîc sua membra rotæ.
Sisyphus & saxum uoluendum huic atque petendum
Deserat: hunc meritum deprimat atra silex,

Non Lapithas feriat: Tytii non uiscera, læuum
At iecur istius uulturis ora petant.
Denique quicquid habent pœnarum tartara, solus
Hic habeat; præ aliꝫs sit sine fine miser.
Ac luctu æterno tabescat iugiter oro,
Torrescatq́; auidis ignibus impositus.
Non mihi morte prius languescent lumina flenti,
Non mihi secedet corpore sensus ab hoc,
Quàm iustam à Superis exposcam perdita mulctam,
Quàm lasso extremam comprecer ore fidem.
Iam superi tædet cœli conuexa tueri;
Iam precor heu mortem; iam satis ipsa fui.
Hei mihi spes aluit postquam me uana, sorores
Postquam traxistis ferrea pensa Deæ,
Aduocat hinc nigras miseram Proserpina sedes.
Vel Fabiꝫ occurret nobilis Vmbra mihi.
Porcia, quid lacrimas? quid fles hæc tristia fata?
Porcia, quid cessas, quid dubitas'ue mori?
Alma DEI *coniux; miseram iam respice amantem:*
Alma DEI *coniux, iam miserere mei.*
Iam mihi tu pro me cœlestia numina placa;
Iam mihi tu iratum, Diua, precare Iouem.
Iam mihi iam leto fini mala; & eripe lucem
Inuisam ancillæ, Iuno benigna, tuæ.
Non licet extincto Fabio producere uitam;
Non licet hic sine te uiuere uita, diu.
Hæc misero tantos rumpebat pectore questus,
Cùm Iuno uotis annuit ipsa suis.

His exauditis ſubitò à prudente miniſtra
Mittitur ad Fabium charta notata uirum;
Vt ſciat, an ſpiret, pro quo ſic Porcia languet,
Vel, fama ut loquitur, ſit tumulatus humo.
Littera miſſa duci germano redditur; ille
Reſpondet ſapiens, officioſus ei,
Eſſe leuem capitis plagam, ualuiſſeq́; penè,
Hunc breui patria tempore in urbe fore.
Atque petens Fabium dixit, Nihil ipſe loquaris;
De caſu genitrix audiit ægra tuo.
Scripta tibi miſit. reſpondi protinus: iſta
Nunc ſubſcribe tuum nomen & ipſe manu.
Subſcripſit Fabius. defertur epiſtola. chari
Agnouit Fabij Porcia uirgo manum,
Atque, Mali minus eſt, ait: at iam nox mihi longa
Ecce uenit miſeræ, nec reditura dies.
Intus habent cæcum & corda immedicabile uulnus;
Vt cernam infernæ triſtia uela ratis,
Vt niger heu Stygia ſedeat ſub arundine remex.
Tartara cognoſcam, Cimerioſq́; lacus.
En quò duxit Amor miſeram, uirtusq́;, fidesq́;;
Pro luce alterius perdidit ipſa ſuam.
Triſtia quid ſequitur Thysbes hæc fata? mariti
Illam nam ferrum traijcit, hancq́; dolor.
Non illa expauit durum muliebriter enſem,
Non hæc extimuit tela Cupido tua.
Vos ô Pierides diuæ, aſpirate canenti:
Funus uti mœſtum uirginis expediam.

Quis

Quis tantam ualeat pietatem æquare canendo?
Et fidem inauditam quis recitare queat?
Omnia uos solæ meministis, & illa potestis
Dicere Thespiades, & memorare mihi.

Elegorum de Porcia libri tertii finis.

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS DE PORCIA,

LIBER IIII.



V'm regina Deûm effœtam conspexit amantem,
Atria supremi coniugis alta petit,
Lugubrisq; uiro, Quid tanta potentia belli?
Quid Latium Hispani perdidit auaritia?
Quid Celtæ hoc uastat regnandi immensa cupido?
Quid Germana phalanx, inquit, utrique fauet?
Non'ne fuit satis Hesperiæ quondam arua suorum
Vim sensisse acrem Cæsaris & generi?
Atque suo infestis undasse hanc sanguine Gotthis?
Quorum iras & nunc Itala regna timent.
Non solùm populos statuit, sed perdere dulces
Ausoniæ musas inuidiosa manus.
Dum studuit prorsus Romanum extinguere nomen,

Ac genus, heu uates ignibus illa dedit,
Et linguæ auctores. Pataumo hinc plurima desunt,
Multa tibi Cicero, multaq; Varro tibi.
Et Næui cuncta, & Luceij scripta diserti
Euitare ignes non ualuere feros,
Cùm miseræ infantes extinxit matris in aluo
Atque (nefas) matrem barbara progenies.
Non flammam euasit Romana urbs, impia cùm gens
Mutaret terris arua Latina nouis.
Et Mediolani muris infensus aratrum
Hostile impreßit Rex ferus ille furens.
Hinc mala quanta precor sunt horrida bella secuta?
Qualis quæ inuasit Gnosia régnà lues,
Talis ubi in magnæ dominata est mœnibus urbis,
Insubres adeò pestis adorta modò est,
Millia plus decies ut bis septena cadentum
Fœda hominum pateat iam periisse lue.
Inq; ministerium percußis non homo uiuus,
Non locus in tumulos sufficiebat eis.
Non'ne peregrini sunt urbe silentia paßim
Tota admirati, gramineosq; toros?
Exhausit penitus uesana hæc mœnia pestis,
Crudelis ferri quæ uiduarat amor.
Desertasq; domos, deserta & prædia uidi,
Atque ea tum, miseram quæ mimini sse piget.
Ecquid adhuc iuuat heu strages hæc tanta Latinæ
Gentis, cui per te non datur ulla quies?
Quid iuuat orbare heu natos, orbare parentes,
Atque maritales dissociare toros.

Hesperias

Hesperias quid tam crudeli angore puellas
Atque uiros, coniux magne, necare iuuat?
Tantorum ecce bonis sunt præmia nulla laborum,
Pœna comes dirum nec premit ulla nefas.
En genus Ausonium gemit, omnis lacrimat ætas,
Hesperiæ matres, Hesperiæq; nurus.
En pia quid patitur mihi grata ancilla marito
Percusso: hanc tantis eripe quæso malis,
Eripe quæso malis: Veneris torretur aheno
Correpta hæc sæuo, quæ mea templa colit.
Qui sacro Hippolytum duxit medicamine ab Orci
Faucibus extinctum, Sole parente satus,
Hunc mittas, qui ambos curet: letale furentis
Vir belli uulnus, Porcia, Amoris habet.
Phœbigena ambobus caueat: uel missus Apollo
His tandem medicas applicet ille manus.
Ne macies penitus pallentes occupet artus,
Ne notet informis squallida membra color.
Quod iam cunque mali est utriq;, id iã precor amnis,
Iam precor & rapiat uentus, & unda maris.
Quòd si fata uetant ancillam uiuere, coniux,
Perpetua in cœlo Nympha sit illa mihi.
Iuppiter huic contrà, Tandem dulcißima coniux
Desine tandem, inquit, fata Latina queri.
Numinis æterni non inclementia transit,
Et mea non iustum præterit ira modum.
Sic meruere patrum scelera: en genus omne superbũ
Italiæ temnit numina magna Deûm.
Cerne, meis ut sunt uenalia sacra ministris,

Per quos innocuo sanguine inundat humus.
Quid? non Insubrium patrui ducis impia dextra
Hæredi regni tetra uenena dedit?
Non sceptrum eripuit? cœlesti numine inulta
Tanta hominis rabies prætereunda fuit?
Adde, quòd omnis homo, pauper, ditißimus, audet
Principis iniusti talia facta sequi.
Credentes alij mortalia temnere Diuos
Gens fieri hîc casu ferrea cuncta putat.
Fingentes alii regem Deûm inania uerba,
Tantùm pro Diuis se uoluere coli.
Nam sine re DEVS *est nomen, frustráq; timetur,*
Et nos stulta, aiunt, credulitate mouet.
Immemores sperant Superos fandi, atque nefandi:
Nec Iouis irati fulmina missa timent.
Hinc, quondam ut Phrygiæ temnentes fata colonos
Leto Græcorum sæua per arma dedi,
Sic placet armiferi nunc totam euertere Iberi
Francorum & regis uiribus Ausoniam.
Illas si Gotthi plagas meminisset, & ista
Vitaret demens impia facta patrum,
Gens fera si Diuûm seruaret iussa potentum,
Non daret has pœnas suppliciumq; graue,
Nec, uentura breui quæ sunt, grauiora nocerent.
Sentiet almi iras Roma superba Iouis.
Saxoniam ecce nouum docet ipsam dogma magister,
Romanæ imminuens relligionis opes.
Germani illius suasu, Galli, atque Britanni
Pontifices temnent, urbis & imperium.

Atque armata phalanx Romam uastabit, & alti
Tybridis urbanos obruet unda lares.
Relliquias Diuûm uentis & Sole carentes,
Et disturbabit barbarus ossa ferox.
Annonæ hinc caritas perdet sic Itala regna,
Vt uel nobilitas sit peritura fame.
Qui genus inuisum quondam mortale sub undis
Occidi, cùm ingens omnia pontus erat,
Non modò præcipuos in sontes arma trisulca,
Vulcani mihi sunt quæ fabricata manu,
Mens fuit inijcere, infesti olim qualia sensit
Hippomoi soboles, Aeolidæq; caput;
Ast etiam flammis oras fatalibus omnes,
Hoc quæ cœlicolûm numen inane putant,
Vrere continuò uolui; sed fata sororum
Longa dies paucos me remorantur adhuc.
Phœbigena, aut magnus tamen iis mittetur Apollo,
Qui curet forti uulnera facta uiro.
Quæ dominæ fecit Veneris puer ipse, Deorum
Non sanare ullus uulnera acerba ualet.
Illam fata breui mandant pòst tempore obire
Mortem, aliquot Soles Elysioq; frui:
Hinc tibi sit, Iuno, præstanti corpore Nympha,
Est quæ diuinis apta ministeriis.
Dixit, & uxorem complectens Iuppiter almus
Huic dat per longas oscula pressa moras.
Imperat hinc Phœbo, Cottæ ut formam induat oris,
Francorum magni qui Ducis est medicus.
Petro hic notus erat castra ergo Gallica mannis

Impositus uenit hospitiumq; uiri.
Excipit hunc hilaris Petrus: cui Delius inquit,
Cottæ huc permissu Regis adire placet;
Vt cùm miles init sæui certamina belli,
Ac Mauors dubias miscet utrinque manus,
Si quem fortè meûm perstringat uulnere acerbo,
Huic subitò occurram sedulus arte mea.
Petrus ait, Mi Cotta, DEVS si hæc castra petisset,
Non esset nobis gratus Apollo magis.
Subuenias fratri obsecro, quem perculit hostis;
Letale ipsius tempora uulnus habent.
Huic medeare precor supplex; faciasq; repente,
Buxeus à mœsto corpore pallor eat.
Non minus arte uales hac, quàm qui maxima Ditis
Curauit ualido uulnera facta Deo.
Quid ualeat radix, Epidaurius atque Machaon
Non nouere, inquit Phœbus, ut ipse; ueni,
Iam iam adeamus eum. hic est certè doctior almo
Phœbigena: fratris sit tibi certa salus.
Quem iactatorem Petrus non senserat unquam,
Cottam miratur talia uerba loqui.
Delius es Cotta secum inquit; qui omnibus audes
Te præferre illis, quos genuere DEI?
Quænam digna feres tanto promissor hiatu?
Arte bonus non te Curtius æquiparat?
Te nimis ô iactas. Pariter uenere gementis
Cusani ad lectum. dixit Apollo, gemis?
Sit tibi certa salus. ualeat quid Cotta, uidebis.
Tu modò non iuuenis, sed moriere senex.

Nanque

Nanque nigros cani lædent tibi (crede) capillos,
Et ueniet curuo tarda senecta pede.
Ac dulces etiam natos generabis: habebis
Fundum, quem Lamber cingit, & Eridanus,
Francisci aspicies Regis qui funera. fata
Quàm Petro fratri sunt meliora tibi.
Respirat iuuenis; mens illiq; augurat, olim,
Quæ loquitur uates, omnia uera fore.
Applicat huic medicā manū Apollo, quem putat esse
Cottam: illi uulnus diluit Ambrosia.
Reddidit hæc mentem iuueni: miratur odorem
Diuinum Fabius, conualuitq́; breui.
At sua regna uidens minui, iam stamina amantis
Confractura manu, tertia Parca dolet.
Se DEVS *ad regem hinc uelle almus dixit abire;*
Sed prius hæc Fabio Cynthius ipse refert;
Artis Cusane auctori fac plura quotannis,
Qui tua curauit uulnera, sacra feras.
Nam nisi curasset letale hoc uulnus Apollo,
Cotta quidem medica nil ualuisset ope.
His euanescit dictis. sensere sonantem
Franci arcū & pharetram. Phœbe saluber abis?
Phœbe, ut Atlantiades & Iuppiter, inquit & ille,
Dignati Baucis tecta subire uiri,
Phœbe, quid ignotus miseris mortalibus esse
Nobiscum optasti? Phœbe saluber abis?
Per te Cusanus uiuit. tua templa quotannis
Visam, carminibus te celebrabo nouis,
Cùm terra centum procurrunt undique currus,

Cùmq; ferunt ciues annua sacra tibi.
Si spiro & ualeo, per te unum maxime Agyieũ
Spiro. tua hæc omni tempore dona canam.
Nam tua penè miser furua ô Proserpina regna
Vidimus; at nobis uiuere Apollo dedit.
Hinc Fabius positis cùm secesśisset ab armis,
Vrbem & uenisset magne Quirine tuam;
Ipse decus regum Franciscus transiit ad nos,
Insubrium repetens sceptra negata sibi;
Et Mediolanum cepit, sua iura secutus,
Deinde ad Ticinum castra superba uocat.
Cùm nec adhuc ullo potuisset claudere uallo
Castra, locata minus commodiore loco,
Dispersas acies Hispanus nocte silenti
Inuadit subitò, rex capiturq; potens,
Extincto dum pugnat equo pedes inter Iberos
Magnanimus, fortes dum ferit ense duces;
Vix sese credit deuictum, aciesq; fugatas
Et fusas Regem deseruisse suum.
Tertia tum Lunæ complent se cornua, amaram
Cùm uitam in lecto Porcia mœsta trahit,
De reditu chari penitus desperat amantis,
Hinc recrudescunt uulnera acerba magis.
Si quid erit nerui & uirtutis, nuncium ad istum
Interit; atque genis excidit omnis honos.
Deficiunt uires paulatim; pabula temnit,
Ipsa sibi sentit tristia corda mori.
Atque huic Persephone nigram ut denunciat horam,
Aduocat ancillam: Lucia amica ueni,

(Illi

(Illi erat hoc nomen) puluinum protinus adfer,
Prima in quo mihi sunt munera amantis, ait.
Hoc mihi solamenq; mali unum, & sola uoluptas;
Cætera sunt fatis omnia uersa meis.
Donum dulce uiri, dum fata, DEVSq; *sinebant.*
Quæ uixi, iam me fata fuisse uolunt.
Attulit ancilla. hinc manicas ut promat olentes
Dona Arabum mandat. iussa puella facit.
Desuit extemplo puluinum, atque eripit illas;
Dat dominæ. heu, dixit Porcia uirgo gemens,
Aspera quid nimium lucem mihi numina, & ipsum
(Quod grauius) nobis eripuere uirum?
Est ereptus amans, & uita heu: iam mihi non hæc
Eripies uotis Sors inimica meis.
Hæc uel erunt mecum (manibus niueum illa premebat
Ad pectus geminis) munera prima uiri.
Hæc uel erunt mecum dulcis munuscula amantis;
Quæ mihi, te inuita, tristia fata leuant.
Hæc solatiolum nostri tu fida doloris
O' tumulo mecum Lucia conde meo.
(Astans serua gemit) leuis huic si, ut scribitur, esset
Plaga, manu propria scriberet ille mihi.
Subscripsit tantùm. heu morior. quid, Lucia, amantē
Hunc, mea qui lux est, non datur esse mihi?
Non datur esse mihi? crudelia fata, uirum quæ
Heu nobis alio, Lucia, in orbe tenent;
Vnde quòd huic reditum certo subtegmine rumpunt,
Me uiua, Parcæ, huc protinus umbra petam.
Ancilla intereà uelle & se aiebat obire

Vnà;

Vnà; cui moriens Porcia uirgo refert;
Lucia, uiue mei nunc obsecro testis amoris,
Vt Fabio hæc poßis cuncta referre meo,
Quàm fida huic fuerim, quàm constans hactenus,
Me semper luci præposuisse meæ, (ipsum
Meq; & amaturum usque illum post funera, nobis
Si in campo Elysio numen amare dabit:
Atque meos manes ne lædat dicito, pulchrum
Nec caput infuso puluere fœdet amans;
Nec lædat uultus diuos, pectusq; decorum;
Me tantùm aßiduè somniet, optet, amet.
Crudeles Superi. sæua ô Saturnia, surda
Quid cecidere cheu tot mea uota tibi?
Talibus hinc dictis est uisa quiescere, sed mox
Deficiens media nocte puella perit.
Seruarum it tristis confestim clamor ad auras,
Quem Diuæ ipsa parens audiit exanimis.
Territa per medias ruit, & sua pectora pugnis
Fœdans, & lædens unguibus ora feris:
Atque suo natam morientem nomine clamat.
Hancq; uidens cœpit dilaniare comas,
Dicere seq; feram, durisq; à montibus ortam,
Sæuitiaq; acres exuperare feras,
Se genuisse piam natam, extinxisseq;, causam
Huic uitæ & mortis seq; fuisse canens.
Nox erat, & Romæ iuuenis cùm fortè cubaret
Cum socio, Nymphe huc spiritus ipse uolat.
Ostia clausa aperit. sentit Cusanus euntem:
Non uires in eum somnus habebat; ait,

Ecquis

Ecquis es? illa sono tenui respondit, Amica.
Vox hæsit iuueni faucibus; obstupuit.
Territus esse quidem uoces agnouit amicas,
Diuinare tamen non ualet attonitus.
Quin socius sentit cubito experrectus & ipse.
Accedens proprius mœsta puella uenit.
Atque tori Fabius qua parte cubabat, utraque
Strata prius palma deprimit, inde sedet.
Suspirat tantùm, prout fessa; cubile premendo
Paulò pòst manibus, surgit amica gemens.
Decedensq;, Vale, dixit, uale: & ostia claudens
Ad campum Elysium protinus inde uolat.

Elegorum de Porcia libri quarti finis.

P. FRANCISCI SPINVLÆ MEDIOLANENSIS, DE PORCIA,

LIBER V.



Tque nigris mundum cùm nox emensa quadrigis (tas,
Cæruleo effusus tingeret amne ro-
Porcia, uel genitrix, uel Petrus frater obiuit,
Cusanus, perijt de tribus unus, ait:
Charius his nihil est homini: qui manè notauit
Horam,

Horam, qua monstrum senserat, atque diem;
Atque hinc cognouit paruo pòst tempore Nymphen
Hora illa misero dispериisse sibi.
Quis lacrimas Cusani & luctum narret ? amicam
Et flet adhuc uiduus, flebit & usque suam:
Ter denos annos loca sola is, turtur ut æger,
Solus habet, dominæ funera acerba gemens,
Porcia Virgo iacet. hanc Nymphæ, hãc plangite Fau
Cornigeri, extincta plange Cupido face. (ni,
In Diuæ miserum nostræ diuertite funus
Heu mecum Veneres, Thespiadesq; piæ.
Afferte exequias Charites, Dryadesq; puellæ
Afferte, & uobis ora rigentur aquis,
Vngue notate genas rigido, mecumq; dolentes
Lugete, & sanctas dilaniate comas,
Dilaniate comas, formosæ & flete puellæ,
Tuq; bonæ in primis serua fidelis heræ:
Quæ moriens, cùm tu lacrimosæ flebilis ipsi
Dicebas sine hera uiuere nolle tua,
Viuere te iussit, iussit te uiuere, amoris
Et testem fidei, tristitiæq; suæ.
Tu Pade sancte meam lucem, non funera prisca
Germani extincti, populus ista gemat.
Ipse uicem illius doleas ô flumen, & istic
Omnis auis tecum quæ loca sola colit.
Terrarum in dominos quidnam peccauimus oro,
Quod nobis superi tam nocuere DEI ?
Soluimus in magnos non ora unquam impia Diuos,
Non cineres unquam minximus in patrios.
O' ego,

O' ego, ne dominæ sentirem funus acerbum,
Quàm mallem æquoreis fluctibus esse lapis;
Quem maris irati rabies, quem tunderet unda,
Quem peterent alti fulmina missa Iouis.
Quid sacra, quid pecudes, quid prosunt thuris aceruì
Natalis Iuno, quæ dedit illa tibi?
Quæ tenera dedit illa manu tibi compta quotannis,
Stans manè ante tuos conspicienda focos.
I nunc, Iunonem supplex uenerare potentem.
Parce Dea; est pietas hercule nulla tibi.
Te licet oraret lugubris, tu tamen aure
Neglexti surda, Diua superba, preces.
Magna Iouis coniux Saturnia, numen inane,
Atque potestatem credimus esse tuam.
Quid dare liminibus sacratis oscula prodest?
Quid prodest templis procubuisse tuis?
Penè ego crediderim nullos mortalia Diuos
Curare, at casu cuncta sub axe geri:
Nam miserum insontem ferè & usque uidemus iniquũ
Felicem. si sit, hæc DEVS *ipse ferat?*
Sed, lux & uita, heu postquam te fata tulerunt,
Aspice ut in mundo tristia cuncta gemant.
Omnibus est etenim formosis fastus amicus,
Est timor, aut leuitas; non tibi, uita, fuit.
Cur mihi adesse meæ haud morienti fata dederunt?
Illi clausissem lumina tristis ego,
Candida & annoso sparsissem membra Lyæo,
Et factus talis uersus in ossa foret;
Porcia uirgo sita est hìc: falsa huic nuncia fama

Coniugis extincti causa perire fuit.
Vt fuit in uotis, optato lumine tæda
Si nos iunxisset, uita beata foret.
Sed mihi tu moriens fregisti commoda cuncta,
Tecum unà tota est nostra sepulta domus.
Vnà mi tecum perierunt gaudia quæque,
Quæ tuus in uita dulcis alebat amor,
Interitu cuius tota de mente fugaui
Et uersus, animi deliciasq; mei.
Nil mihi iucundum sine te: quid uiuere pergo?
Quid sine te inuisas hîc traho, uita, moras?
Nil mihi iucundum sine te: non lumina Phœbi,
Non polus, aut cœli sidera clara iuuant.
Deriuare animum nequeunt, curamq; leuare
Acrem forma aliæ, purpureisq; genis.
Nulla meo ponet uestigia fœmina lecto;
Solus ero, quoniam non licet esse tuum.
Sed grauis est mihi lux: iterum huic dent fata perire,
Qui perijt domina dispereunte sua.
Oraui quoties Diuos, cùm saucius essem,
Vt me seruarent non mihi, sed dominæ!
Oraui quoties, DEVS *almus cùm mihi adesset,*
Ne plaga immeritos tolleret una duos?
Illa tamen perijt. perijssem ut uulnere belli,
Ne paterer quæ sunt hæc grauiora nece.
Mœnia castelli, atque ædes quid maximæ, & hortus,
Quid prosunt culti iugera mille soli?
Quid prosunt arua, & pondus graue diuitis auri?
Quid prosunt altæ tecta superba domus?

Mi iucunda foret paupertas Porcia tecum.
Nec sine te regum nunc diadema uelim.
Cur mihi non Diuûm pereunti dura dederunt
Diuæ oculos misero claudere fata meæ?
Audire extremam uocem, oscula figereq; illi
Extrema? æquo animo mortua credo foret.
Ah quoties manicis moriens dedit oscula nostris?
Ah quoties Fabij nomen in ore fuit?
Nox alis quid tam nigris me terruit, eius
Cùm sese ad nostrum contulit Vmbra torum?
Quid lacrimæ quæso, tua quid suspiria Romæ
Porcia, quid fletus me latuere tui?
Cùm nocte ingressa es sola ad nos, cumq; tenebræ
Iudicium nobis eripuere metu.
Voxq; uidebatur (memini) mihi amica loquentis
Vltima uerba; propè est uox tua nota mihi.
Me timor at miserum priuauit munere tanto,
Extremo amplexu, colloquijsq; tuis.
Ne metuas Cusane, ecquid non Porcia dixti?
Ne metuas: ego sum Porcia, caste Fabi.
Quid tantùm salueq;, ualeq;, nouissima uerba
Dixti? an fata aliud te uetuere loqui?
Non ego Polluci inuideam, ista si tibi nostro
Dent iterum Superi nocte sedere toro:
Non ego maluerim totum quæcunque per orbem
Magnanimi reges eminus arua tenent.
Non opibus, fuluo & non exorabilis auro
Mortales Orcus, cunctaq; nostra metit;
At tua, uita, fides & honos, laudesq; manebunt,

Dum pascentur apes floribus atque thymo :
Et dum mergus aquas, fluuios & piscis amabit,
Pabula dum pecudes, gramineosq; toros.
Me nunquam dulcis meminisse pigebit amoris
Porcia uirgo tui, dum memor ipse mei.
Quid plura? heu fato quòd Porcia dulcis iniquo
Erepta es, nimium lux grauis ista mihi.
O' ciuis, ciuis gressum oro comprime: Diuæ
Sistite uos currus ad monumenta meæ,
Dicite matronæ & lacrimantes; uulnus amoris
Huic fuit; & miseræ causa perire fides.
Sed peto quid dubias, extincta ô Porcia, sortes?
Quid Marij toties oppida parua peto?
Cur me Parmenses deportant esseda campos?
Cur noua ad insanam me uia ducit anum:
Vix tua crediderim uera esse oracula Phœbe.
Parce pater; loquitur non pia uerba dolor.
Et tu quid sit amor didicisti, reddere chordis
Cùm uetuit similes uoce Cupido sonos.
Attamen extremo, Cytherea, ut munere mortis
Te donem lacrimans, ista sepulcra peto.
Quid fortuna mihi te, lux, extinxit iniqua?
Sed quid adhuc mutos alloquor heu cineres?
Sic uisum Superis. tamen hæc, quæ more parentum
Prisco sunt tristes tradita ad inferias,
Accipe tu, nostro manantia munera uultu,
Atque in perpetuum Porcia uirgo uale.
Talia dicentem Musa & defleuit agrestis,
Panq;, & Syluanus, cornipedesq; DEI.
Diluuiem

Diluuiem horrendam satis minitatus agellis,
Eridanus magas fletibus auxit aquas,
Vt latè alluerit syluas, iumentaq; paßim
Cum stabulis tulerit culta per arua suis.
Decutit undecimus ter iam iste December honorem
Syluis, huic ex quo fata tulere suam,
Ex quo terra tenet miserum, quam flumina findunt
Magna Padi flauæ prætereuntis aquæ,
Ex quo fidus amans omnes tempsit Hymenæos;
Cui nisi, quæ erepta est, nulla placere potest,
Nulla placere potest omnino. semper amicæ
Est illi ante oculos dulcis imago suæ.
Siue iacet lecto, seu stat, sedet, ambulat, orat,
Accumbit, tecum Porcia uerba facit,
Suspirat, lacrimat, spectat sine fine figuram
Depictam, uultus effigiemq; tui.
Non nunquam & uiredes tulit ad moniēmta corollas,
Atra illi lacrimis incaluitq; toga.
Si quid, ait, manes sunt, si non omnia finit
Heuletum, euictos si fugit Vmbra rogos,
Nostris ô fulcris incumbas nocte sequenti:
Dis dabit, & coniux; dulcis amica, ueni.
Nos irrupta dies tenuisset copula cunctos
Vitæ huius, si non lux tibi adempta foret.
Atque uiden' postquam perijsti, candida Nymphe,
Hæc lecti quàm sint frigida regna mei.
Nulli flebilior, quàm mi mea uirgo fidelis
Occidit, æternus quam sopor urget, iners.
Nox mundum ad medium iam lapsu emensa rotarum

Cœruleo haud bigas lauerat amne suas,
Cùm Dea habens secum, quibus est elata, capillos,
Ipsius uisa est ponere sede pedem:
Me seruasse fidem, nosti: sic ore trifauci
(Vmbra inquit) latrans Cerbere molle sones.
Sibilet in tumulo, si mentior horrida nostro
Vipera; quin serpens & super ossa cubet.
Nostri ergo, Cusane, memor sis tempore in omni,
Iam cinis & iaceat commodiore loco.
Lugubre hoc carmen tristi super adde sepulcro;
Sposa Fabi hic pulchri pulchrior ipsa iacet.
Hîc iacet ante annos crudeli tabe perempta
Porcia, quam nobis Iuppiter eripuit.
Sed, dulcis Cusane, uale: Proserpina iam me
Plutonis coniux imperiosa trahit.
Ac iuuenem medio ardentem sermone reliquit,
Et dulcis dominà cum fugiente sopor.
Mox arrectæ horrore comæ, atque obmutuit amens,
Oßa repente ferus lapsus ad ima dolor.
Sæpe fides mouet incassum; ut pectora cantu
Diris mœsta leuet sollicitudinibus.
Sæpe mero curas tentat depellere; uertit
Sed dolor in lacrimas munera Bacche tua.
Quin etiam lacrimas nobis excußit, amorem
Cusanus narrans illius, atque fidem,
Cùm, facili Primo, Fausto & mirante sodali,
Hercule ad effigiem diximus ista suam;
Iunoni è cunctis est te non ulla puella
Dignior Aonio, Porcia nympha, choro.

Nobilium

Nobilium fies Nympharum tu quoque; uates
 Vndique te cupidi dicere conuenient.
Nam, formosa inter uelut ignes Luna minores,
 Vna inter Nymphas candida uirgo micas.
Dicet Apollo tuas laudes, & carmina Diuæ,
 Regina & longum Calliopea melos.
Aeuo ego te memori, si quid mea carmina possunt,
 Nunquam præteriens eximet ulla dies.
Donabo potiore decem te munere signis:
 Deducam mores, & fidem in astra tuam.
Illud ego æternum meditor decus aurea uirgo
 Inserere & stellis, concilioq; Iouis.
Excidet omnis honos formæ, aurum, & marmora;
 Artubus humanis stat sine morte decus; (non his
At monumenta tua, & uirtus, & gloria, mortis
 Et uacat extrema conditione fides.
Nam mea cantabunt semper te scripta, fidelis
 Queis eris ipsa, Helena, Porcia, nota magis.
Non solum magna quam pagina docta Catulli
 Continet, agnoscent secla futura Deam,
Non solùm Graiis & dicta Lacæna poëtis,
 Non solumq; Albi Delia pulchra boni,
Porcia sed nostris uiuet laudata Camœnis,
 Si me inter uates ponere fama uolet.
Vsque tua in terris celebrentur facta sepultæ;
 Mortua notesces tu magis, atque magis.
Troiæ alij celebres fuerint, Libyæq; triumphis,
 Hæc tibi semper erunt uera trophæa fides:
Hanc, flos Insubrium, sola qua sidera adisti

Sola puellarum, secula cuncta canent:
Nec (mihi crede) tua & uirtus, laudesq; peribunt,
Exitio terras cùm dabit una dies,
Cùm fera (ut esse canunt in fatis) flamma uorabit,
Hasq; DEI ultoris fulmina tanta petent,
Quanta nec expertæ sunt, cùm affectare gigantes
Sidera sunt ausi, cœlicolumq; domos:
Tunc felix hominum casus secura uidebis;
Tunc referes, Diui consuluere mihi,
Gnosidi ut euenit Thesea fraude puellæ;
Huc iuuenem utiliter me eripuere DEI.
Cum Iunone tua uiues tunc; atque frueris
Perpetuo Diuûm nectare, & ambrosia.
Hæc super extincta Cusani luce canebam,
Atque super ludis, ô Cytherea, tuis,
Dum bello Henricus rex fulminat, & genus eius
Dum cœlo affectat Carolus ipse uiam,
Dum legatus init Sultani templa domosq;
Regis Ioannes aurea tecta subit.
Me Mediolanum dulce illo tempore alebat
Vrbs magna Insubrium cum genitrice pia;
Pegasidum studiis qui florens, auspice Phœbo,
Iudæi cecini carmina sancta ducis.

Elegorum de Porcia libri quinti finis.

P. FRAN-

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS

ELEGORVM, de sua Delia,

LIBER VI.

Ad Iacobum Balamium Romanum, Elegia I.



Am discedit hyems, omnis iam parturit arbos,
Syluæ frondescunt, & reuirescit humus:
Ima zephyri lenes spirant felicius auræ,
Dulci animos cantu garrula mulcet auis.
Non stabulis pecudes, non igni gaudet arator;
Amplius & glirem non premit alta quies;
Nidum ponit Itymq; gemens lugubris hirundo,
Opprobrium infelix Cecropiæq; domus.
Ecce choros Nymphæ ducunt, & pulchra Dione,
Purpureisq; caput floribus impediunt.
Quid nos Balami? hîc ciues, hîc aula moretur?
Vultum & fortunæ uim timeamus adhuc?
Est mihi & Ambrosio uati secessus ad undas
Oronæ, sedes non adeunda malis.
Pan DEVS Archadiæ, Phœbusq;, nouemq; sorores
Huic

Huic iuga Parnaßi posthabuere loco;
Quem lambit fluuius, decorantq; uirentia prata:
Prata obeunt colles undique graminei:
Gramineos colles hinc & complectitur arbos
Dura Alcidæ, illinc frondiferumq; nemus.
Dijs nemoris saxum hic duo colles inter opacos
Ingens testudo firma cubile tegit,
Vt Iouis irati contemnat fulmina, amatæ
Cùm Nymphæ hac potitur Faunus amore domo.
Huc ego, (iam ualeant urbes) & Delia mecum
Ibimus, ad noctes deliciasq; Deûm.
Hic Phœbum, hic Musas dicã, & fortißime te rex
Henrice, illius Carole teq; genus:
Nanque Dionæo potus de more sub antro
Quæ ludam calamo secla futura legent.
Dum fingit luteum Nili caput omne Venustus,
Dum iugulat reges turgidus ipse Bonus;
Vel culpa ingenii magnas dum deterit amens
Henrici & laudes Cæsaris egregij;
Dum nimis infelix austera poëmata nostro
Tot ciui Felix immodulata canit,
Atramenta notam sicut tractata remittunt,
Hic uersu fœdo splendida quæque linit,
Ridendus, chorda quòd semper oberrat eadem,
Quòd proprium nescit mensq; manusq; sonum.
Tu uerò sapiens non hinc Iacobe recedis,
Solus ubi dicas fortia facta uirûm?
Longum ubi & Henrici diffundas prælia in æuum,
Cæsaris & sumas scribere facta senis?

Regis

Regis ubi dicas res, sobriniq; labores
Laturus modici præmia multa tui?
Gnauum ubi Franciscum poßis & scribere fortem,
Illius & fratrem, magnanimosq; duces?
Lumina uti quorum mirus per ahenea signa,
Et faciem, & uultus exprimit ipse Leo,
Mores & poßint animi apparere uirorum
Magni tantorum per graue uatis opus:
Os, pede percusso ter, nam miranda sonabit.
Ars hic quid prodest ingeniumq; tibi?
Vates, æterno propior non alter Homero,
Quàm tu, quem Lycius diligit ipse DEVS.
Perdere te luces? turpem'ne uerere lituram?
An metuis ne obeat dulce poëma tuum?
Delius ipse pater castè pureq;, rotundo
Et tibi Pegasides ore dedere loqui.
Non tu repentes per humum componere, ut ipsi,
Sermones, magna at dicere bella soles.
Quæ recipit regum maiestas ipsa potentum,
Vt Maro, ut & Varius, dicere cuncta potes.
Perfectum decies castigas carmen ad unguem:
Non limæ offendit te labor, atque mora.
Tu nunquam uarias rem prodigialiter unam,
Nunquam professus grandia serpis humi.
Inuidet Insubrium populus, diuine poëta,
Romæ uirtutes, ingeniumq; tuum.
Nemo carminibus te uincet, siue Latinos,
Seu iuuet Hetruscos concinuisse modos.

De amore suo, Elegia II.

Ipse toro uacuo uiuebam liber, at ipsum
Composita cæcus pace fefellit Amor,
Cùm stultè miseros riderem insanus, amantes,
Huic mea detrectans subdere colla iugo,
Fecisti extemplo mœstis sentire medullis
Me patulos arcus, insidiose puer.
Principiò nec adhuc uerò cùm tangerer igni,
Cùm foret istius parua fauilla mali,
Sperabam ardentis fera me hæc incendia mentis,
Sperabam flammas posse cauere tuas:
Ast, ubi se nigris mihi formosissima ocellis
Obtulit admota sæua puella face,
Qualis ubi ad paruæ noctu pastoribus ignis
Excidit incautis arida septa casæ,
Flamma per hæc sensim dilapsa uagatur, & alta
Agrestis properat lambere tecta domus,
Vror io; remoue, remoue fera Delia tædas:
Vror; quis tantis ignibus addat aquam?
Quis ferat insano celer heu medicamen amori?
Quis siccet misero uulnera facta mihi?
Delia sola potes, tanti mihi causa doloris;
Tanti causa mali, Delia sola potes.
Eheu dura negas: tibi non Cornelia mater
Optima, non genitor Lucius ipse fuit;
Cautibus at duris genuit te Caucasus horrens,
Tigresq; admorunt ubera sæua tibi.

Eheu

Eheu seruitium subij, me dura tenentq;
Vincula; libertas iam mihi prima uale.
Ille & amore potens acri sic captus Achilles,
Argolicæ gentis funera acerba tulit.
Alcides etiam tenuit fusosq; columq;,
Nec puduit dominæ uerbera dura pati.
Quin pecudes & amans Admeti Phœbus Apollo
Pauit, Latonæ filius atque Iouis.
Quid mirum est igitur, post tantos si quoque Publi
De te uesanus parue triumphat amor?

De Delia, Eleg. III.

VOs nostram iuuenes est rumor amare puellā,
Vos illi cupidæ regia dona dare,
Vobiscum Venerem furtiuam iungere crebro,
Optima dum pingui uistmus arua solo.
Parrhasides stellæ uigilantia lumina mundi,
Vos testes alto sidera clara polo,
Lasciuos hominum quæ signa micantia amores
Cernitis, heu Veneris dicite furta meæ.
Sed non hos uirgo sentirem infida dolores,
Si fecissem olim quæ mihi dixit Otho.
Sed quid Amor stultus sapientes heu fugit omnes?
Consilium & ratio non dominatur ei.
Ille mihi quoties dixit, Quid credis auaræ?
Et quid fallit adhuc te simulatus amor?
Brachia nec capiant ipsum pendentia collo,
Nec tibi per longas oscula fixa moras;

Nec

Nec tua si insidis lacrimis perfuderit ora
Callida, nec si inter singula uerba fleat,
Non si per Cypriam, atque suos iurarit ocellos
Fallax, perq; caput, per geniumq; suum.
Ridet, ait, DEVS *oblitæ periuria amantis;*
Quin facilis furtis & fauet ille meis.
Ipse ego, dum proprias inuisit Delia amicas,
Dicentem audiui talia uerba tuam.
Nam transire domum simulaui, deinde recurri,
Solus & ipse steti comminus ante fores.
Credidimus tamen infidæ magis usque puellæ,
Rettulimusq; eius, Delia, uerba tibi;
Per quam eheu molles misero noua cura medullas
Exedit, membris nec datur ulla quies.
Sensibus ereptis animi mens excidit omnis,
Te quoniam impuro dedis adulterio.
Nec mihi contentam referunt dominam esse duobus,
At tenerum cunctis supposuisse femur,
Cunctis, qui precio captæ dent usque petenti
Aurum, uel diues quas habet Indus opes.
Qui legit Eoïs gemmas mercator in oris,
Insani maris hunc obruat unda furens.
Priscis quæ ignotos mortalibus ora colores
Puniceum nobis, purpureumq; dedit,
Coa uiis pingens auratis fœmina uestes,
Frondes intexens, alituumq; domos,
Albas & Tyrio quæ lanas murice tingit,
Dispereat, causas quæ dat auaritiæ,
Quæq; malas facit, & periuras, ut mea, quam tu

Rumor

Rumor ais dites præposuisse mihi.
Sed nisi tu miserum foueas ô credula Diua,
Quæ melius flenti cras fore semper ais,
Me mea traijceret telo, uel dextera taxon
Ipsa mihi succos mortiferosq; daret.
Tu pia, crudeles fugerent cùm numina terras,
Dixisti nostros linquere nolle focos:
Tu uinctis affers solatia, alisq; colonos,
Horrida tu fortes ducis ad arma uiros,
Tu comes es uiduæ, pupillo, & lumine capto,
Et qui fortunæ fluctibus obruitur,
Tu comes æquoreas nautis sulcantibus undas,
Et puero & iuueni tu comes atque seni,
Tu neque paulatim morientes deseris, unà
At secum campos tendis ad Elysios.

Ad Deliam, Eleg. IIII.

Sint alijs comites fusci mea Delia, Solis
Quos nigra admotis India torret equis:
Sint & opes magnæ, cunctarum & copia rerum,
Et quicquid Latio dat Tyros, Afer, Arabs,
Sint uestes illis tenues, diamanta, pyropi,
Quicquid odoratis fertur ab Armenijs:
Iis etiam curæ miseris cumulentur edaces,
Abrumpant somnos, tristia corda coquant.
Quarum tu laudas sortem infelicius illis
Prorsum (crede mihi) non genus est hominum.
Quid cupis hæc igitur felix, tua si bona noris,

Commoda


Commoda quæ tantis sunt comitata malis?
Quæ tractare manu serpentes fœmina diras
Ausa est, te multò ditior illa fuit:
Ditior illa, nouus cui miscuit ipse maritus
Flens flenti propria tetra uenena manu:
Ditior infelix Monima & Milesia, quæ se
Suspendit laqueo mœsta, iubente uiro.
Auri sacra fames en quo perducit, amorq́;
Aeris, diuitiæ, gloria, forma, decor.
Virgo tuæ gentis flos, Delia ut istius, omnes
Quam Veneres unam surripuisse ferunt,
Quid reginarum cupiens diadema, ueneno
Mutasti Ambrosiam, stulta puella, tibi?
Mutasti exilio patriamq́;, uirumq́; tyranno,
Et uitæ horribili gaudia cuncta nece?
Sors inimica bonis, monilia & aurea demis,
Stupea & immitis uincula nectis ei.
I nunc, & credas mortali insana superbo,
Huic Graiæ inuideas & diadema. Vale.

Elegorum de Porcia, suaq́; Delia, finis.

P. Francisci Spinulæ
MEDIOLANENSIS
Hendecasyllaborum liber,

Quo numeros Catulli uniuersos imitatur.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS, Ex officina stellæ Iordani Ziletti.

M D LXIII.

Ludouici Dominici Placentini, in Catullianam Spinulæ imitationem, distichon.

Francisco Insubres, gaudet Verona Catullo,
Dum Padus huic illum iudicat esse parem.



ILLVSTRI AC Magnifico D. D. Ioanni Comiti in Thenczin, Palatino Belzensi designato, præfecto Lubliniensi, Vrzendouiensi, Parzouiensi, &c.

S. D.

P. Franciscus Spinula Mediolanensis.



VM iam diu gentem Pollonam multis ac grauibus de causis diligere & colere cœperim, factum est, ut cùm superiore anno Patauii essem, etiam quorundam nobilissimorum interiore notitia ac domestica consuetudine contracta ideò uterer, quòd iidem Carolo Sigonio uiro

doctiſsimo familiari meo dabant operam. Quotidie enim ad eius ipſius & publicas & priuatas interpretationes Polloni frequentes & ſtudiis & animis conueniebant. Vnde tanta eorum beneuolentiæ atque obſeruantiæ in me acceſsio facta eſt, ut eam aliquo publico monumento teſtari decreuerim. Cùm autem hoc animo eſſem, eoſdem animaduerti iuuenes nobiliſsimos, cùm de ſuorum uirtute Heroum loquerentur, Thenczinios ferè rebus belli pacisq; domi ac foris præclarè geſtis claros, teq; in primis efferre. Non ſolùm enim maiorum tuorum in dicendo copiam, in rebus bellicis fortitudinem ac peritiam, in conſiliis de communi utilitate capien

dis prudentiam , atque in defendenda & propaganda religione pietatem, patrisq; tui uiri clarissimi Palatini Cracouiæ arcis præfecti summum imperium, præclara gesta & facta gloriosa persequebantur, sed etiam tuas uirtutes, studium armorum, scientiam literarum, nobilem peregrinationem, totiusq; Europes lustrationem enarrabant. His posteà graue Augustini Curionis eruditi & optimi iuuenis testimonium accessit. Qua de re & illorum oratio & huius auctoritas me eo in te amore inflammarunt, ut teneri minimè potuerim, quin tuo nomini hæc poëmata mea consecrarem. Simul ac enim Hieronymus cognomento Dongelli-

linus, qui Veronæ philosophatur, uidit Horatianam quandam meis in libris imaginem, me pluribus uerbis ad Catulli est adhortatus imitationem. Huc accedebat etiam, quod Brunorio Hendecasyllabis dedito, à quo huiusmodi carmine prouocatus fueram, me oportebat respondere. Eam ob rem ad hanc operam ita sum aggressus, ut omnia fuerim uersuum poëtæ genera imitatus. In qua quidem exercitatione si quod & Dongellinus expetebat, & ego desiderabam, id uel mediocriter sum assecutus, sua laus ex aliqua parte fuerit. Verùm cùm sæpenumero & opus intermisissem, & me ad meum munus pensumq; reuocassem, Nonis

Quintil. tandem opus totum absolui. Quod si forte quæras, quam obrem poëma illud artificiosum,

Phaselus iste quem uidetis hospites,

omiserim; scito me huiusmodi poëma & imitatum fuisse, & in Epodon librum transtulisse. tale uero eius est initium:

Decus poëta nostri honosq; seculi.

Huiusmodi enim poëma, ubi alia sunt difficilia, malui collocare. Epigrammata autem eiusdem auctoris & Heroicos uersus omneis imitatus sum, sed in sequentibus aliis tribus libris leguntur. Tu igitur, Heros ornatissime, paruum hoc munusculum, quod tibi donamus, ita accipias uelim, ut & bonis literis & arti musicæ fauere uidearis. Si enim tibi ita fuis-

ſe acceptum intellexero, uti Curio tuus uel noſter potius affirmat, me lætitia incredibili efferes. Vale. Venetiis Calendis Decemb.

CIↃ IↃ LXII.

P. FRANCISCI SPINVLÆ MEDIOLANENSIS, HENDECASYLLABORVM liber, quo uniuersos Catulli numeros imitatur.



Ad illustriß. ac Mag. D. D. Nicolaum Radiuilium, Hollicæ & Niessuuiefzæ & Bierzæ Ducem, Palatinum Vilnensem, summumq; Litfaniæ Ducatus & Mariscalcum & Cancellarium, &c.

Poëma I.



Erovm decus omniũ, quot istic
Et sunt atque fuere Nicolaé;
Quem Litfania, cùm suos potens Rex
Pollonus redit ad Lares & urbem,
Obseruat, metuit, colitq;, ut illum:
Vicisti populos pietate, recto,
Atque iustitia, tibi quod istud

Nomen

Nomen dulce tuum sonat beato.
Ad nos fama uolans, & ad Latinos,
Hetruscos, Ligures, ad Adriamq;
Virtutem celebrat tuumq; nomen:
Cuius dum canerent trophæa multa
Poëtæ Veneti, stupente Glauco,
Dixit nostra Thalia quos uir ingens
Rudes uersiculos tibi dicamus.

Ad Stephanum Marium Hugonium, Brixianum Equitem clariß. Poëma II.

AVdiui Pataui, Bonam Camillam
Te duxisse, Mari; quod uniuersis
Felix auspicium & uidetur omen.
Gnauo gnauus enim creatur, atque
Forti fortis homo, Bona Bonusq;
Strenuo dabitur tibi Camillus
Ille tam lepidus puer, tibi quem
Olim præcinuere dormienti
Custodes patrij Lares agelli.
Ergo connubijs Bonæ decentis
Felix uiue mei memor; frequenter
Mecum per schedulasq; colloquaris.
Quid Marcellus agat propinquus iste
Tuus sic hilaris, quid & peritus
Iuris Hugo, grauis Boniq; Othonis,
Magni frater & Angeli, Camillus
Quid regum Comes, hac tibi marita

Affinis faciat, laboro scire.
Rescribas etiam, Mari diserte,
Tui an Brixia sit memor poëtæ,
Qui suæ cecinit trophæa gentis.

Ad Hieronymum Montium I. C. Brixianum, Episcopi Bergomensis Vicarium electiss. Poëma III.

INtegerrime cœlitum minister,
Non natus tibi, ciuium at saluti
Hæc Hieronyme ciuitas beata
Adhuc me retinet parum camœnæ
Dedita, atque lyræ tui sodalis.
Tecum ò uillula si qua me teneret,
Non uento horribili atque pestilenti
In sede opposita, boni parentis
Virtutes, tua diceremq; gesta.
Nam sub tegmine ramulorum onusta
Fructibus patulæ arboris sederem,
Lymphulam uitrei amnis ad salubrem;
Orbem in carminis & mei redirem, &
Mortis conditione quod uacaret
Extrema, canerem tibi poëma
Vates pessimus omnium, patronus
Tu quantò optimus omnium, atque iudex.

De F. Alexio Hugonio, Brixiano, Genuam à Cenomanis emigrante, Poëma IIII.

COnfert Flauius Hugo ſe meorum
Ad te patria ciuitas parentum:
Occurras homini precor diſerto,
Quem colit Lycius DEVS, benigna.
Nam magno patrios Lares focosq;
Eſt fletu lacrimisq; Brixianos
Viſentem Adria proſecutus illum.
Non Nymphis nemorum, nouemq; docto
Vllus notior eſt choro Dearum:
Non hunc carminibus Linus, nec Orpheûs
Vicit Thracius: ipſe non Apollo
Iudice Archadia, ſacram hunc ad undam
Parnaßi ſuperare quiuit olim,
Cùm ferrent Satyri pedem bicornes,
Adeſſent Dryades ſimulq;, quercus
Motarent rigidæ & cacumen, atque
Vmbroſæ ſyluæ, & nemus tacerent.
Occurras igitur uiro eloquenti, &
Qualem non oculis tuis in iſta
Vrbe unquam, Genua ô beata, uatem
Vidiſti, accipito, atque ei faueto.

Io. Brunorius Gambara, Brixianus ad P. Franciscum Spinulam Mediolanen. Poëma V.

Francisce Aonidum sacer Dearum,
Et Phœbi comes, iste nanque dulcem
Donauit citharam tibi, sed illæ
Carmen, quo referas Deos, ut alter
Sonora fide Thracius poëta,
Felix uiue diu, poloq; dignus,
Cùm serò Superos petes uocatus.
Docto nunc Helicone derelicto
Oblitæ nemorum sacriq; fontis
Tuam Pierides domum frequentant,
Canentiq; tibi aßident benignæ,
Et dictant teneris simul labellis
Nullo carmina desitura seclo;
Dum tu Spinula doctus immoraris
Ocello Italiæ nimis beato,
Istic aßiduè tuos amores
Ludis uersiculis Propertianis,
Seu docti hendecasyllabis Catulli,
Vel referre modos amas Horati,
Quibus Dauidis inclyti poëtæ
Canas carmina uersibus Latinis.
O' si de facie te amice nossem,
Qui desiderio tui uidendi
Peruror, cupida ut puella amantis:
In te pasco animum, tuisq; chartis:
Nam uatem redolent pium & beatum.

Lætor

Lætor prætereà, quòd ipse uiuat
In te Flaminius, quem acerba nobis
Ab fata eripuere, sed benigni
Cœlites statuere, ne periret
Poëtæ interitu illius camœna
Maturo minimè eleuata partu,
Quam subinde sinu excipis tenellam,
Atque illam reficis beato amore,
Quo Diuorum animi fruuntur usque
Inter agmina cœlitum beata.
Vt iam sit specie magis uenusta, &
Prodeat solito ampliore cultu.
Quare, cùm nequeam tibi decenter,
Quas iam debeo, gratias referre,
Nec quot sunt homines, eruntq; posthac,
Habere, aut agere, aut referre possunt,
Multa Iessiades tibi rependat
Merenti bona, laureamq; frondem,
Expressa ob sua tam laboriosa
Sacra carmina, mysticos & hymnos,
Dis charissimus, optimusq; uates.

P. Franciscus Spinula ad Io. Brunorium Gambaram, Poëma VI.

HOnestissime quid rogo Brunori
Meos esse aliquid putas labores?
Cùm leui neque pumice expolitus,
Nec limatus adhuc stylo seuero

Tam

Tam citò exierit meus libellus:
Qui cauit malè quòd sibi, uirorum
Non per ora diu puto manebit.
Qualis ursa prius solet catellos
Informes dare, quàm iubar rotantis
Se Phœbi uideant, eosq; lambens
Paulatim pia mater elaborat
Lingua, tale poëma debet omnis
Bonus fingere, sæpe corrigendo.
Sed Germania, me satis, superq;
Reclamante, meum poëma prorsus
Ieiunum edidit, impolitum, hiulcum
Pergratum tibi, non mihi, penes quem
Iam non esset opus quidem, quod illo
Furtim hoc nescio quis tulisset orbe,
Cùm lites sequerer graues, misellum
Quæ uatem hercule dulcibus iuberent
Musis dicere plurimam salutem.
Tamen si Superi mihi fauentes
Ocio dederint frui cupito,
Expendam omnia diligensq;, lima
Et mordacius utar; ut Latinum
Quod absoluere molior poëma
Flamini uideatur esse totum;
Is ni principium poëta, Apelles
Pictor quale obiens caput reliquit.
Nam Romana uiri modos apellæ
Pieris fugit, ut minus suaues,
Et non accipiens inusitatum

Dicendi

Dicendi genus, & nouas figuras,
Quas non natio, ubi educata quondam est,
Vsurpat, neque Romuli nepotes,
Quò deduxit aquis eam reuertens
Fontis Aonij poëta Flaccus:
Hæc quam carmina sint laboriosa
Boni Dauidis, Ambrosi diserte
Tu cunctis referas alumne magni,
Qui uix uersiculum eloquentis unum
Vales pluribus explicare chartis.
Sed te, nobilium decus uirorum
Magne Palladis atque alumne Phœbi,
Quòd tantum tribuis lyræ sodalis,
Semper plus oculis meis amabo.

Ad Hieronymum Monsilicum I. C. Brixianum, de Maximillæ suæ forma, ad ædes ipsius aduentans cum eo, Poëma VII.

O Buiam uenit en tibi decora
Ore floridulo nitens puella;
Coniux hæccine Maximilla, cœpit
Quæ te prima Venus suis ocellis.
Menandri sapientiam secutus:
Adhuc, te modò sentio beatum
In primis, ita cui cauet Dione,
Quem tali sociat uirum marita,
Est cuius medicina nulla formæ,
Cui membra in propria nitent figura,

Naturæq;

Naturæq; decus: puellularum
Vultus artificem Cupido nudus
Non curat, peregrina dona, & aurum:
Nulla dulcius arte nam uolucres
Concinunt, melius suaq; agello
Sponte flosculus enitet uirenti.
Hanc tu dilige, dum iuuenta Furi
Amat delicias inelegantes;
Hanc tu dilige, dum sodalis æger
Amat scorta tuus febriculosa,
Non ualens uiduas iacere noctes.
Cessas basia multa basiare
Hanc, tuo de abitu gemendo cuius
Adhuc turgiduli rubent ocelli?
Ego ut te studeam uocare cantu
Ad cœlum lepido, tuosq; amores.

Ad Stephanum Marium Hugonium, Brixianum, Equitem clariss. ægrotus, Poëma VIII.

Nobilissime Eques Mari, camœna
Quem dixit mea, semper atque dicet,
In somnis ego nocte Gabrielem
Videbar lepidum uidere patrem,
Fessum, pallidulum, toro iacentem,
Qui tres mortuus est ab hinc decemq;
Bis annos apud Insubres Lomati,
Primum Solis ubi iubarq;, & astra
Vidi, lumen & insalubre Phœbes,

Quem scirem perijsse in hocce uisu,
Videbar rogitare eum; Quid ipse
In terris faciam pater, potentum
Vt summo placeam patri Deorum?

Tu primò patienter hîc memento
Semper ferre homulos, ait, malignos.
Fili, ne pulices quidem misellos
Quæras lædere prouocatus unquam.
Cuncta iustitia DEI redundant:
Nam pœnas meritas nocentibusq;
Cunctis irrogat, & pijs coronam
Donat omnibus æquus, ut recipit.
Sic mortalibus, & Ioui supremo
Viues charus. adhoc tuum quietè
Traduces meus usque sanguis æuum,
Hospes ut tuus Hugo liberalis,
Hugo nobilium decus uirorum,
Humano generi Deisq; charus;
Cuius secula nempe charitatem
In bonos, patriamq; cuncta dicent;
Cuius perpetuò trophæa rectum
Olim posteritas loquetur omnis.

At canam, fuerit quoad Thalia
Virtutem illius ipse, seu Quirini
Ciuitas teneat, uocet beatus
Me siue Adria, seruus hæc loquentem
Ostium reserans tuus suaues
Abrupit mihi de repente somnos.

Ad Stephanum eundem, ægrotus; Poëma IX.

VIdebar, ut fit, æger in somnis equo
Volare: uentum est ad locum, uorago ubi
Et hinc, & hinc: demersus est equus statim:
In ripa at ipse sospes hæsi: ripa tu.
Si spiro, per te spiro: nam sine te actum erat.

Ad Rainutium Gambaram, Comitem illustriß. Poëma X.

EManat uitreis fons aquulis in medio foro,
Dicit tota nouũ quod, iuuenis candide, Brixia:
Artus bis aquulis & gelidis atque salubribus
Aegros ipse diu manè prius mehercule dilui,
Quàm dulces schedulas fortè tuas is mihi reddidit
Seruus, fortẽ Equitem qui sociat semper Hugoniũ,
Nostræ uitæ Equitẽ nempe parẽtẽ & Deũ Hugoniũ.
Totum feruidus heu sic mihi cor Syrius usserat,
Visurum amplius ut me superos non ego crederem.
Rogatu illius at Phœbigena ab me Stygijs aquis
Deduxit subitò, Cimerio atque herbipotens lacu.
Sed nil esse tuis mi potuit litterulis tamen,
Omni chare Deo, chare homini Gambara, gratius.
Nunc uerò simul atque optimus & diues Episcopus
Consecrata sibi multa meus carmina legerit,
Num quid dixerit, an conticeat, tu mihi scribito,
Sermone & patrio quæso, Comes maxime, scribito.

Ad Marcellum Hugonium, Brixianum Philippi fil. Poëma XI.

TV quòd Idibus, Hugo, me rogasti
An posset uariè poëma eodem
Desinens fieri modo Latinum,
Quo solo utitur ipsa gens Hetrusca,
Respondere hodie tibi putaui.
Mihi olim medicus laboriosum
Cottæ Camutius dedit poëma,
Quod mitto tibi magne alumne Martis,
Quem Phœbi & studium iuuat camœnæ.

De Clara quadam ode, Hetruscorum poëmatum more facta, Poëma XII.

AVra en Fauoni, mitiorq; Caurus
Nubes geluq; triste depulerunt;
Ponti minaces impetus quiêrunt;
Mutatq; merces Indus, atque Maurus.
Nam læta pinguis frangit arua taurus;
Et picta densum prata floruerunt;
Omnes canoræ & alites replerunt
Frondes, nec hortos ornat una laurus.
Ver spirat; en uer omnibus rediuit:
Vnum sed in me sæuiunt procellæ;
Nec Sol mihi est, mens unde fessa uiuit;
Lusus, dies abit e iamq; uerni

Dum

Dum luce Clara non fruor puellæ.
Sunt dura dici cuncta, dura cerni.

Ad Iulium Foreſtium Brixianum, Comitem & Equitem nobiliſs. Poëma XIII.

GOtthorum genus ô Comes potentum,
Qui fortes animos geris parentum;
Imbellem haud aquilæ truces columbam,
Haud fului generant ouem leones.
Nam te cùm uideo, uidere regem
Totilam uideor mihi ferocem,
Regibusq; aliis potentiorem,
Qui rectum coluit, uirosq; ſanctos
Amauit; Benedictus ipſe teſtis.
Sed quendam mala mens, Eques, cinædum
Medulla anſeris, aut araneoſo
Situ, pene ſenis'ue molliorem,
Egit præcipitem in meas camœnas.
Neſcio ſibi non bene aduocatus
In me quis DEVS excitarit iſtum:
Qui, meæ niſi Dijs lyræ dicatæ &
Parcerem ingenio, modeſtiæq;,
Notus qualubet eſſet, urbis huius
Vulgi in totius ora perueniret:
Si digna hoc canerem, à pudore caſto
Aberrarem etenim, minusq; digna
Perſona facerem mea. tu at illi haud

Parce; quandoquidem tuos amores
Cum longis uoluit stylis amare.

De Iulio eodem, Io. *Baptistæ* Montij *mortem immaturam lugente,* Poema XIIII.

L*Vgete Martes inclyti, Tritoniæq; fortes,*
Et quantum adest uirûm suo regi fideliorum;
Baptista nostro Iulio est heu mortuus sodalis,
Quem sic amabat, ut solent natum unicum parentes:
Amico erat fidißimus, & fortis atque prudens,
Sese obuiam aduersarius cùm ferret huic cruentus:
Et fingere ad nutũ quidẽ & se accommodare semper
Arbitriumq; Iulij totum ipsius solebat.
Pro Iulio ire per maris fluctus fuisset ausus,
Vastißimum hyberno salum uento licet tumeret;
Obsistere & pro Iulio turmis fuisset ausus
Densißimis solus, feros & ire per colubros,
Qui nunc it ingemens iter tenebricosum inermis
Ad inferos, unde huc negant redire posse quenquã.
At sit malè Orci peßimæ uobis nigri tenebræ,
Nobis bona omnia omnibus quæ & bella deuoratis.
Tam strenuum inuictißimo Forestio abstulistis
Sic lugubri. ô factum malè. certè timemus ipsi
Charum sodalem ultra modum tanto uiro gementi.

De

De elegia Io. Brunorij. Gambaræ Comitis illustr. sibi non reddita, ad Brixianos, Poema XV.

QVare non elegi boni sodalis,
O' ciues, mihi redditi fuerunt?
Indoctus ne cupit uel imperitus
Vendicare sibi modos Brunori?
Vulgus inuidet an mihi profanum,
Laudatos celebrare me poetas?
Vrbs hæc tota malo redundat isto,
Quo boni lacerantur integriq;.
Felices igitur uiri & beati,
Malæ qui inuidiæ cauere possunt
Fel & lumina torua: pauperes at
Soli & inuidia carent miselli.

Ad Ghidinum Gyrillum, Brixianum, Maphæi fil. liberorum nobilitatis doctorem, Poema XVI.

GYrill um potius quid ô magister
Scribendum bone, quàm putas Cyrillum?
Auitum sapiens uir ille uobis
Cognomen (mihi crede) dat Cyrillus.
His cum bestiolis Ghidine paruis
Non res ergo tibi sit oro posthac,
Alit quas hyeme & graues ad unam &
Pingues reddit item sopor perennis:
Deductumq; homine à bono & diserto
Compertum hoc habeas, Cyrille, nomen.

Errauit rudis & quidem loquendo &
Scribendo simili nota uetustas.
Quapropter te ego semper ipse tantùm
Cyrillum uocitabo, non Gyrillum.

Ad Hieronymum Catum, Poema XVII.

QVò Hieronyme te rapis? rura surdida uisis?
Constantina uirum cupit te, decora puella?
Quam surgens fremitu dedit fluctibusq; marinis
Benacus, genitrix uagi & Nympha filia Minci.
Ad nos ô redeas breui; patris ut pia mecum
Et Salusti, & aui libens gesta Barptholomæi,
Antoniq; aballi canas facta patria in urbe.
Non est, quòd studeas tuum Spinulam amplius istos
Felix ô cerebri bona hac urbe ducere in agros:
Non unquam placuit mihi nempe rustica musa.

Ad Iulium Forestum, Brixianum, Comitem & Equitem generosum, Poema XVIII.

VT Iulius Romanus ille terrarum
Ingentis orbis uictor ista neglexit
Non uera, sed bona uniuersa adumbrata,
Sic gloriæ tu natus atque uirtuti
Amore & immortalitatis ardenti
Flagras, perennis cœlitum & uoluptatis.
Non tu uales contentus esse natura
Angustijs ab omnium datis matre

Homunculo

Homunculo ad uiuendum in hoc solo, nanque
Vitam tuam esse non putas, ut ignari,
Quæ continetur hocce corpore & mente;
Vitam tuam esse sed putas eam, quamq;
Aeternitas, & posteri intuebuntur,
Quæ seculorum memoria omnium semper
Tibi uigebit, seri alent nepotesq;.
Vt ille seruis huic; ut ille & ostentas
Robur tuum huic, uictorias, triumphosq;
Et liberalitatem & inclytum nomen,
Et eloquentiam & fidem & decus magnum:
Futura secula & colent, & ad cœlum
Vsque efferent te laudibus, genus cùm uni
Mortale uentri inseruiens aquis nunquam
Stygijs & Orco lurido istud emerget.

Ad Iulium eundem, Poema XIX.

QVos tuæ Lauræ facilis sororis
Vir dedit nobis Malatesta uersus,
Maximè illustris tibi sic Foresti
Mittimus illos,
Pro tua ut docti bonitate Iuli
Iulius doctus iuuenis uelimus
Iudices Diuis superis & imis
Carmina grata.

Ad Malatestam Martinengum Comitem illustriß.
Iulij Ascanij Tuccij, Poema XX.

O' Comes

O Comes Martis generosa proles,
Versibus doctis celebrande uatum,
Brixiæ magnum specimen beatæ,
Gloria & ingens,
Tunc erat cœli Malatesta tecum
Spiritus, Diuûm furor, aura, uirtus,
Quæ tibi, magno Ioue sic uolente,
Consuluerunt,
Cùm tuam nostro iuueni sororem
Coniugem, & fidam sociam dedisti;
Ex quibus cernas sobolem, genusq;,
Quod beet illos.
Sed tua antiqua procerum phalange
Dotibus multis animi ferocis
Certat, & totum reboat per orbem
Fama, decusq;.
Cœlitum patrem rogitemus ergo,
Hîc decem uiuas decies ut annos;
Quò senex poßis seriem nepotum
Cernere longam.

Ad Ricardum illust. Comitem Sancti Bonifacij, Veronensem, Poema XXI.

O Comes uitæ regimen probatur
Cynthio magni genitore Diui
Quem polo nodis ligat in sereno
Horridus anguis.
Nempe idem sentit penitus Machaon

Illius proles, Epidaurus atque
Doctus, & Paeon medicatus olim
Vulnera Ditis.
Has patrum leges teneamus Heros
Inclyte & normam, atque modum sequamur,
Aeuum uti felix simul hic agamus
Tempore in omni.

Pro Faustino Barbono, Iunipera, & T. Fausto filio ad deam opem; Poema XXII.

ET puer Faustus, genitorq; prudens
Ipse Faustinus, Venus & decora,
Ops Deûm mater foueantur à te
Semper ubiq;.
Tullium Faustus superet tenellus,
Atque Faustinum sapiens disertum,
Vt uirum scitus puer assequatur
Nomina cum re.
Sitq; Barbonus mihi ubiq; dulcis
Sospes, aeterno Superumq; regi
Seruiat, per te & uiridi fruatur,
Diua, senecta.
Cypria & cunctis melior, nihil quā
Pulchrius Titan uidet orbe in isto,
Vsque sit felix sua, & inde amicum
Sidus in astris.

Ad Hieronymum Dongellinum Medicum, Philosophumq; singularem, Brixianum, Salodium proficiscens, Poëma XXIII.

ACcepi schedulas tuas amice,
Perna quas mihi reddidit fidelis.
Viderit Venetus grauis suam rem:
Quæ temnit modò nempe, quæret illa
Incassum sibi cras: quod haud ueretur;
Mutabo rationem, & obsecranti
Obligabo fidem meam Cribello.
Ducit Monsilicus me ad æstuosas
Benaci socius furentis undas;
Vnde ad te ueniam breui, meæ quem
Præ cunctis aliis amant camœnæ.

Ad Ricardum, illust. Comitem. Sancti Bonifacij, Veronensem, Poëma XXIIII.

QVòd nos locutione uatum candida
Lætaris uti; Primus ipse, quippe qui
Subtilis est poëmatum iudex, suum
Me comparem est hortatus, ut dicta aurea
Doctißimis depascar è chartis, apes
Vt cuncta libant floridis in saltibus:
Aut prorsum omittam illusus artem musicam.
Ne quando si ipse in peius optem usquam arrogans
Proponier facie atque uultu cereus
Ficto, atque decorari hic uelim amens uersibus

Natis

Natis malè, arca uicum operta deferar
Porrectus in uendentem odores, thus, piper.

Ad A. Calemerum Plantinidum, Poëma XXV.

MAnes si poterunt tui uidere,
Vates docte, uel umbra si ualebit
Ista post cineres rogumq; nostram
Fidem cernere, rebus & caducis
Lætari, modò fata eant utrique
Arcana ordine, senties fidelis
Defuncto tibi quàm sim amice dulcis.
Te quando uoluit pater Deorum
Me mortalibus anteferre cunctis,
Omnes posthabeo tibi sodales:
Vicisti officijs tuis meam spem.
At illud mihi maximo est dolori,
Quòd matura tibi seges, sed (unum
Quod te sollicitat) mihi est in herba.
Iam fructum pietatis ipse magnæ
Sentio pater ô tuæ perennis,
Florentis tibi Spinulæ sed usus
Expectatur adhuc fidelitatis.

De Iacobi Albæ I. C. obitu, ad Christophorum Magnum I. C. Poëma XXVI.

LVges tuum quid Magne doctorem bone,
Vt mortuum Albam, uita cui perennis est?

Responsa

Responsa cuius, siue consilia legens,
Minerua, & immortale perlegens opus,
Aeuum per omne posse durare huic dedit.
Non pausa uitæ ergo est secuta frigida
Virum, sed huic præclusa leti ianua est,
Ad cœlites quem Pallas euexit sua.
Quid? sidus ut Pollucis, atque Castoris
Stella alba Mandelli en refulget in polo.

De Bartholomæo Arnigio, Brixiano, Poëma XXVII.

QVem plebs Arnigium uocas inepta,
Musarum Arnigenam tenent alumnum
Fontes & gelidi, lociq; agrestes,
Et nostræ umbriferum nemus Thaliæ.
Ad ripam sapiens uirentis Arni
Vates editus est Hetruscus olim:
Tendit uincere eum meus canendo
Doctus Arnigena & bonus sodalis,
Dilectus tibi magne Phœbe, seri
Cuius uersiculos colent nepotes.

Ad F. Alexium Hugonium, Brixianum, Genuam migrantem, Poëma XXVIII.

AEquor ô Ligurum petens Alexi,
Obsecro cineres patrum sepultos

Con-

Conuentumq; senum, & iuuenculorum,
Penatesq;, gregem & puellularum
Et delubra Deûm & focos saluta;
Saluta ipsius alta ciuitatis
Propugnacula, mœnia, atque turres;
Saluta mare, Spinulasq; cunctos
Meô nomine, si me amas Alexi.
Si quis forte roget; Pater, quis ille est,
Qui per te mihi dicit hanc salutem?
Respondebis ei; Satus diserto
Gabriele, pio & laborioso
Qui Ioanne fuit parente natus.
Sanguis Gasparis illius potentis;
Dicet quem mea strenuum camœna,
Iste Spinula ad Insubres relicta
Decessit Genua, deditq; uatem, hanc
Qui redire cupit beatam ad urbem.

Ad A. Calemerum Plantinidum, Poëma XXIX.

AMbrosi tandem ueniemus istuc.
Gratiæ nobis comites. Erynnin,
Ne tuos uexent furiæ penates,
Exige diram.
Atque Bellonæ socios fugato,
Siue germanos, famulos'ue quinque
Hos, dolos, iras, odium, furorem,
Inuidiamq;.
Esse non unquam, nec habere possunt

Has domos certè Charites benignæ,
In quibus cernunt domibus mala ista
Degere monstra.

Ad L. *Fabium Hugonium,* Brixianum, Hieronymi *fil.* Poëma XXX.

Nostras, Fabi diserte, homo quidam fuit,
Crassa Minerua, anormis, atque rusticus,
Meo patri coæuus, æquo qui amplius
Nobis uoluptatem esse lugens hîc breuem,
Mortalem & ægrè se ferens cretum miser
Nocte & die indulgebat usque luctibus,
Suumq; fatum conquerens, mortem & gemens
Vltra modum, seu per uiam iret, seu domi
Sederet, ora siue inumbraret sibi
Olim coronis, atque discumbens manu
Inter teneret poculum domesticos,
Miserrimis hic solus est homunculis
Hic est, canebant iugiter, fructus breuis;
Et iam fuerit, est qui modò, reuocabitur
Pòst nunquam amiculi. occidunt en & ualent
Mortalibus redire Soles; cùm semel
Lux hæc breuissima occidit, nox una dehinc
Vna heu perennis dormienda est omnibus.
Ecquis reuixit, ecquis extat obsecro
Expergitus; quem frigida est uitæ semel
Secuta pausa? nos oportet emori.
Terrestria ætas uniuersa deserit,

Non uita mancipio hæc data, usu at omnibus;
Præclusa non est mortis ulli ianua.
Non turris, arxq́; corruit? non corruit
Durus silex auulsus altis montibus?
Non sæua uinci saxa ab æuo cernimus?
Non truditur die & dies, pergunt nouæ &
Lunæ interire, & omnia ipse quæ hîc amas?
Mortalia uniuersa non animas agunt
Sortita fragiles? nulla sane maximo
Leti fuga est, aut infimo; etsi, dum licet,
Stulti usque quærant rebus incassum, ut uides,
In hisce lætis hîc beati uiuere.
Et abstulit præclarum Achillem mors cita, &
Minuit senectus longa Tithonum; & mihi id,
Tibi quod negarit forsan hora porriget.
Imos quidem & sortitur insignes uiros
Heu non iniquis legibus neceßitas
Fati, capax urna omne nomen dum mouet.
Ceruice cui districtus ensis impia
Pendet super, non elaborarunt dapes
Dulcem saporem, non uolucrum nec lyræ
Cantus reducunt somnum, agrestes qui domos
Lenis minus fastidit, umbrosum & nemus.
I nunc, & argentum, atque gemmas suspice;
Gaude, loquentem mille quòd te lumina
Spectent in urbe. Agrippæ ubi te porticus
Notum bene & conspexerit uia Apij,
Quò Tullus & deuenit Ancus attamen
Abire restat, & uidere tartara.

Saltus quid addis saltibus demens homo,
Cùm grandia uniuersa cum paruis metat
Non ære, non auro Orcus exorabilis?
Diues'ne prisco natus à rege Italo,
Nil interest, an pauper à gente infima
Morêre sub dio, & rapacis & nigri
Deuota nil miserantis Orci uictima.
Omnes eòdem cogimur; nanque omnium
Versatur urna, serius sors, ocyus
Hinc exitura, nosq; in exilium homulos
Cymbæ illico impostura perpetuum grauis.
Ter functus æuo Nestor, & Minos pius
Cœlestium ipse admißus arcanis, boni
Conuiua Pelopis & Deûm non occidit?
Linquenda tellus & domus pulchra & Venus:
Vt dignior seruata centum clauibus
Absumat hæres cæcuba & granaria.
Secanda marmora ergo quid homini locas
Memor sepulcri, submouere litora
Baijs & obstrepentis urges æquoris,
Ripa locuples continente non satis?
Quid proximos reuellis agri terminos?
Salis quid ultra limites clientium?
Rapiens diem non annus & monet dies
Et hora, ne quis speret immortalia?
Nam torrida æstas præterit, uer, brumaq;
Iners redit, recurrit Autumnus statim,
Lunæq; celeres damna reparant hic sua:
Mortalis at ubi decidit, quò Troïus

Heros, Camillusq; ipse, puluis umbraq; est.
An crastina addat tempora hodiernæ DEVS
Summæ, quis è mortalibus scit? ubi occidit
Homo, atque de illo splendida almi arbitria
Genus parentis fecit, & facundia
Fidesq; restituere non ualent eum.
Cui cùm referret fortè discumbens simul
Anselmus; Aufer hinc, Amate, lacrimas,
Pueri nec instar bimuli insulsissime
Semper querelas tolle. obibo nunquam ego:
Recepit immortalis istud mors mihi;
Mercede pactus quod fui ingenti cum ea.
Durare posse mi per omne æuum dedit.
Non dura summo figet ergo uertice
Adamantinos necessitas clauos mihi.
Obito tu ergo, his ipse dum lætus bonis
Composto aceruo & ære securus fruor.
Iratus huic Amatus almo numine
Afflatus, O' tibi ad caput mors astitit
Nequaquam opinanti istud Anselme immemor
Veri prius, quàm plenus & satur omnium
Possis, ait, discedere. id certè minus
Erit, quod optas, inquiens; Auunculus
Et si nihil legarit infamis mihi,
Plorare præter, attamen si filium
Fratris quis Orco casus infirmum egerit,
Hæres ero; in uacuum ipse ueniam. tu prior
Peribis hercule, ille eritq; hæres tuus.
Longam inchoare spem tibi letum uetat.

Dum res & ætas ergo lucis unius
Atra & sororum stamina patiuntur, hæc
Vnguenta, uina, atque nimium flores breues
Afferre amœnæ iusseris rosæ, ut libet.
Tu mortis istud uinculo expedies caput?
Die sequenti inuisit idem rusticam
Domum struentes; dumq; negligentiam
Incusat horum incensus ira, culmine
Trabs uasta ab alto oppreßit illum decidens.

Ad Stephanum Marium Hugonium, Eq. clariß. Brixianum, Poëma XXXI.

Cursu Pegaseo uenimus ad mœnia amabilis
Castelli Fabij postridie, quàm tibi scripsimus.
Queis dices socijs huc abijsti, optime Spinula?
Tantùm quippe tuis litterulis magnanime ô Mari;
Quas, desiderium nempe tui solius efficit,
Vt persæpe legam, teq; mihi non cupiam modò,
Sed præsens animo te uideam nocte meo & die
Quanq̃ simus ad hæc Eridani flumina maximi,
Gnatum Solis ubi flent lacrimosæ undique populi,
Mens tecum attamen est, omnia sunt uotaq; Publij.
Extremos etiam si penetrem ad Persidis incolas,
Indorumq; domos, aut Arabum, tectaq; manium,
Quos certè Hesperiæ gens populos antipodas uocat,
Inuisos homines cœlitibus quæ regio parit:
Horum si spaciosa oceani metiar æquora,

Diui

Diui non ualeant (crede mihi) non ualeant meo
Vultus, dona Mariq; effluere è pectore nobilis.

Ad Faustinum Barbonum, Soncinensem, suum,
Poëma XXXII.

GAudeo ad uitam rediisse tristi
Te nouam leto: periisse duro
Nam mihi in somnis uidebare ferro,
Caste sacerdos.
Tu mihi Damon, Pyladesue dulcis,
Tu mihi Theseus; sine quo hic beatam
Non datur patrem mihi per supremum
Ducere uitam.

Ad Io. Iacobum Rotulam patritium Mediolanensem nobiliss. Poëma XXXIII.

OMnis, Iacobe mi, Machaon hercule
Veretur, ut ne nos patre irato Deûm,
Mortaliumq; rege, pestilentia
Attingat, æstus mortiferq; finibus
In hisce reddat atque funestos agros,
Viasq; uastet; ciuibusq; exhauriat
Vrbes, ut olim infantibus nobis, breui
Cùm tempore occidere plus, quàm millia
Quater decem centum urbe in hac mortalium,
Cùm nostro in orbe, quæ minus uitalia, at
Morbo, atque morti sunt, coorta protinus

Ipsumq; turbauere cœlum, & factus est
Aër repente morbidus, uis ipsaq;
Suspensa morborum, atque pestis mansit hic;
Spirans & auras duceret cùm istinc homo
Mistas, & in corpus ea sorberet simul,
Letum afferebant quæ miserrimo; inclyta
Morbo atque morti cùm daretur ciuitas
Ingens cateruatim omnis, ac rura omnia;
Cùm plura muros extra, & intra millia,
Quàm dicitur, periere tabida lue.
Prius gerebant tunc caput succensum enim;
Quin luce suffusa & rubere lumina,
Intrinsecus sudare fauces, & nigro
Atroq; sanguine his coire & ulcere
Vocis uiæ septæ, & cruore lingua adhæc
Manare fœdo, mentis interpres, grauis
Motu, aspera & tactu, atque debilis malo:
Fauces ubi compleuerat per languidas
Deforme pectus omnium uis morbida
Huiusmodi, ægris inq; cor confluxerat,
Vitæ lababant claustra miseris omnia,
Vt spiritus tetrum ore odorem uolueret
Foras, quo olet cadauer olim rancidum.
In limine ipso membra languebant enim
Leti, angor anxius erat & comes malis.
Corpus rubebat omne, quasi inusto ulcere,
Ignis per artus ut sacer cùm diditur;
Vt membra nudi ardentia hoc morbo darent
In frigidos complurimi fluuios, quibus

Nimia anima interclusa cùm ab dulcedine
Aquæ foret, uitam hîc statim edebant suam.
Multiq; puteos ore in altos se (nefas)
Patente deiecere, mersantes siti
Enecta pene corpora, imbres quæ illico
Aequare paruis maximos humoribus.
Requies fuit non ulla cæteris mali;
Nam Solis octauo aurei isti lumine,
Nonáue reddidere uitam lampade.
Quòd fumus horum si quis euitauerat,
Tetroq; uiscere atque proluuie humidæ
Alui, manebat pòst eum tabes tamen
Letumq;, capitis cùm dolore plurimis
Et naribus mox sanguis expletis niger
Corruptus ibat, àtque uires ipsius
Totæ fluebant hominis, omne & corpus huc.
Multis uiriles morbus in partes item
Abibat ater, qui timentes limina
Miserrimè leti, ense uiuebant eis
Priuati. & ipsa perdidisse lumina
Complurimos accepi, itemq; obliuia
Cepisse multos omnium rerum, ut neque
Amiculos, nec se ualerent noscere;
Queis dulcior non esca erat, quàm flumina
Si in alta eam ipsam, siue iacerent in mare.
Quid multa? paßim non humata corpora
Mortalium si fortè gustabat fera,
Languebat, ales & propinquo funere.
Animam, aut domi uis fida cùm primis canum

Strata aut uijs ponebat ægram in omnibus.
Quodq́; grauius, communiter ratio hercule
Nec certa remedij uniuersis est data:
Huic nempe ciui quod dedisset uiuere, id
Exitio erat, letum & parabat alteri.
Sed illud his in rebus ærumnabile
Atque miserandum uidimus, quòd homo se ubi
Dominante sentiebat implicitum lue,
Lacrimis & indulgebat illico luctibus,
Vt morte condemnatus æger, & animum
Repente despondebat ipsum, funera
Vbique obibat atra respectans statim:
Vt qui suos fugisset ægros, plus satis
Vitæ cupidus, atque nimium mortis timens,
Hunc pœniteret, turpi obiret morteq́;,
Ab omnibus desertus, expers atque opis.
Tu quippe quoties paßim, & ipse liberis
Super parentum corpora extinctis suûm
Extincta conspexi antè, retrò & matribus
Ac patribus uitam edere super filios,
Cùm ciuitas conferta aceruatim hæc ruens
Mortem Ioue irato admodum ipso occumberet:
Cœlestium, quod ne modò eueniat item,
Regem, Deosq́; comprecemur supplices,
Vndis bonos ut qui dat aduersis uiros
Rerum mari immersabiles hoc, nos pius
Conseruet, ut pestem & famem & bellum horridũ
Oratione motus agat in Thraciam
Nutricem & in leonis Africam pater.

Ad

Ad Primum cognomento Comitem, Venetiis Romam, ubi Carolus Vicecomes Episcopus Intemeliensis est, proficiscentem, Poëma XXXIIII.

PHœnica amabam Ciris, ô diuine olor,
Cirimq; Phœnix diligebat maximè;
Sed læua Cornix, quæ uolucrum de grege
Ac de gregis custode sentiret malè, hanc
Quòd Ciris accusasset, adiunxit sibi
Multas uolucres sordidas, quæ de alitis
Fama innocentis detrahant secum improbæ;
Vt ales ipsam omnino, uti infamem, unicus
Temnatq; inermem & deserat. Phœnix auem
Putauit esse deserendam lacrimans;
Aui fauere ne uideretur malæ.
Quò tu euolas, ad Albulæ undas hæc canit
Volucris, ipsa quæ una se reseminat;
At lacrimosa Ciris ad tristem Adriam
Habere sedes cogitur, fatum suum,
Lugensq;, solitudinem: quòd nec sine
Phœnice pulchro, nec cum eo datur sibi,
Quem solum amatq; & optat, æuum ducere.
Tu, Cygne candidißime, & luctus mei
Et conscientiæ atque amoris conscius,
Phœnici, auiculæ prorsus oblito, hæc refer;
Nihil mihi deesse, præter id, sine
Quo dura Ciri fata non dant uiuere,

Phœnica præter unicum, quem sic amo,
Vt editurus sim prius animam, & mei
Prius futurus immemor sim, quàm meo
Vultus sui labantur hoc de pectore.

Ad Carolum Vicecomitem, episcopum Intemelien-
sem, Poëma XXXV.

QVis non amet Phœnica te, qui lacrimis
Commotus istis littera dulci meum
Solatus es luctum atque solitudinem?
Sic te uocasse Carole haud me pœnitet,
Non tam quòd in me affectus unicè es, tuo
Quàm diligenter quòd gregi sic consulis.
Mercator hic Darnestus me sæpius
Inuisit, Intemeliensis & senex:
Enarrat iste, Præsulem gentis suæ
Verè uolucrem esse unicum. cur? inquio.
Non pascit unus ille se, suum at gregem;
Vicarium huic præfecit integerrimum,
Patris patrum dum iussu abesse & cogitur
Tridentum olore abire cum dulcißimo.
Adhoc Deorum interpretem doctore cum
Lectißimo illuc misit, ut pueritiæ
Aetas tenella moribus, sicut DEVS
Iubet, bonis & imbuatur artibus:
Plures quotannis pauperum & natas locat,
Et pascit urbis inopiam quotidie, haud
Episcopatus redditu exiguo, sui

Sed

Sed ære multo patrimoni amplissimi.
Magnas DEO mox gratias egi, quia
Te pro Britanno patre Polo, quem pius
Euexit ignea ad astra, nobis reddidit.

Dialogus, de mortuorum sepulturis: in quo Episcopus quidam & Primus Comes inducuntur, Tridenti colloquentes,
Poëma XXXVI.

PRime quid ô sapiens animum tibi conficit oro?
Quæ uis tibi exest cor dies,
Et noctes, mecum nequeas ut uiuere lætus? P.
Zelus DEI domus mei.
Non mihi, quàm cupio, Romani, candide præsul,
Opem ferunt Episcopi. E.
Non'ne ex parte Pius fecit, quod mortuus antè
Paulus receperat tibi?
Cùm tuus ipse Leo misisset scripta legenda
Seni tua illum per patrem,
Qui secum hæc binos tulit annos usque, moratus
Occasionem idoneam.
Non'ne patres Puteus, Moronusq; ista probarunt,
Tu Prime quæ sentis bone?
Sed lege, iudicio placuit quæ carmina sanctæ
Hæc concioni subdere. P.
Ille ego non doleam? non lacrimer? heu domus ecce
Est mortuorum ædes DEI.
Nil acies certè hoc uno magè lædit & aures

Et usque odoratum omnium,
Qui sacra conueniunt sublimis limina templi
Almos precaturi Deos.
Quod rodens ait, & ridens Iudæus apella,
DEI domus mortis domus.
Omnipotens etsi clamat DEVS, Hæc mea sedes
Orationis sit locus,
Attamen implerunt mortales fama sepulcris
Deformia integri. en Deûm
Plena cadaueribus fœtent delubra potentum,
Vt spiritus sit pestilens,
Sintq; auræ corruptæ illic & morbidus aër.
Quadere ab ingressu patrem
Ecce precaturos illorum sæua mephitis
Deterret exhalans pios.
Non tantùm nares, at pes quoque læditur istic:
Hæc eminent sepulcra enim,
Illaq; subsidunt, & hiant non nulla per ædes.
Barathra in ima corruunt
Sæpius incauti; reserandis atque sepulcris
Sic pauperes teterrimus
Exanimauit odor, qui efflatur, sæpius inde
Non unquàm uti reuixerint.
Ac Mediolani in primis loca sacra uidemus
Inuadere hæc contagia.
Adde, quòd omne latus templi occupat ista cupido
Et mos humandi nobiles,
Sublimè in fano ut putrescant, non humi: in horas
Angustiora cernimus

Templa

Templa ideò fieri, supremo inuisa parenti;
Aras quòd eius ad sacras
Accedunt urnæ propius, loculiq́; profani
Illic & hîc fixi super.
Stultitiam cuncti nostram mirantur Hebræi,
Mirantur & Bizantij,
Qui muros extra sepelire cadauera pergunt.
Est Isaacus & pater
Et genus exemplo, uiridiq́; sepultus in horto
Summi parentis filius.
Rellegio & uetuit Marcellum condere Athenas
In ciuitate mortuum.
Principiò in fanis tumulos non concio sanctis
Admisit integerrima,
Conciliis multis uetitos: quandoque ministri
Diuûm sub aris est datum
Condere relliquias terra: quod, Præsul honeste,
Nunquàm fuisset huic datum. E.
Non'ne sacerdotem decet illic condere castum? P.
Ciues profani dum sibi
Id quoque concedi obsecrarunt, cuncta fuere
Completa fana mortuis.
Gaspar & Albertus patres, Gibertus & istum
Morem execrati sunt malum;
Caietanus item hoc sentit, priscosq́; parentes
Et concionem illam canit,
Quæ sedem propriam defunctis & loca ritè
Semota destinauerat.
Nunc irrelligio cuncta hoc confudit in orbe,

Nunc cuncta perturbata sunt,
Quanquám Paulus ait, Fiant ó cuncta decenter
In concione & ordine.
Sacra DEI si quis uiolabit templa, supremus
Rex cœlitum illum destruet: E.
Quo Diuûm pacto uiolarunt templa ministri
Dic Prime planius rogo. P.
Non'ne sacerdotum bona pars in pura coëgit
Delubra Diuûm mortuos?
Vt facerent uirides illorum ex sedibus hortos,
Paruam ampliarent & domum.
Irati quare nobis á uindicis ictu
DEI & uerendum est fulmine.
Relliquias Diuûm in fanis tamen esse probatur
Vt cæteris, sic & mihi;
Illæ nam redolent uiolas & thurea dona;
Et quippe mentes excitant,
Ad piaq; inflammant animos certamina nostros,
Temnenda ad hæc mortalia.
Ne furor ergo DEI perdat nos, obsecro, templis
Et puritatem, & debitum
Reddere, si sapimus, cuncti properemus honorem;
Reddantur horti mortuis,
Corporaq; in sedes proprias corrupta trahantur;
Reddatur omnibus suum.
Armenij in templis paßim incendantur honores;
Fœtore tartara gaudeant:
Concioq; & CHRISTVS lætetur odore cupito:
Canamus ut cum Dauide,

Nempe

Nempe ego quàm domini formosam diligo sedem,
Templi & decorem numinis. E.
At precor exponas mihi qua ratione miselli
A' uero aberrarunt, Comes. P.
Grex hominum insipiens cæco deceptus amore
Opinione lapsus est;
Quod sibi quippe nocet dementi, dum putat esse
Id profuturum maximè.
Vt cecidit cuidam misero, cui spiritus oris
Ater, anima & fœtens erat,
Qui credens magno placiturum se esse tyranno
Accessit imprudens propè:
Extemplo audiuit, Fueris quò longius à me,
Eò mihi eris acceptior.
Nam meritas brutus plagas accepit asellus,
Vti catellus quòd suo
Blandiri domino uoluit: sic & tibi deinceps
Certè, nisi hoc uitas, cadet. E.
Quis neget ista, Comes? quis nos probet omnia?
Ne nos quidem cadauera (quando
Esse fores intra patimur, licet illa parentum,
Pulcherrimæ aut sint coniugis.
Quæ nos reiicimus longè fœda, illa placebunt
Aede in sua æterno patri?
Si qua meas ferret quis corpora mortua in ædes,
Non hostis esset is mihi?
Hæc igitur sacri qui intra fert limina templi,
Amicus ille sit DEO?
Cùm sibi funestet sedem, quam cantibus atque

Preci dicauit & ſacris.
Hoc graue mi crimen feciſſe, atque eſſe uidetur
Inexpiabile facinus. P.
Crimina ut ignoſcat pius hæc mortalibus ægris,
DEVM fatigemus prece.
Verùm concilii ad reuerendos hæc ego patres
Hodie referre te uelim. E.
Cras potius faciam: ſpecie de utraque loquetur
Antiſtitum hoc cœtus die.

Ad DEI O. M. Filium, Poëma XXXVII.

PRoles unica maximi
Patris cœlicolûm DEI,
Antequàm fierent maris
Vndæ, terra, poli, patre
Proles edita ſummo,
O' DEVS genite à DEO
Numen numine, & optimo, &
Lumen lumine maximum
Emanat Dominus potens
Vnde ſpiritus almus,
Vt ſit tergeminus DEVS
Et unus facilis, pius,
Hæc qui temperat omnia,
Quiq; nos creat, auget, immenſi conditor orbis,
Qui clemens, bonus, inclytus
Rex ante omnia ſecula

Delegisti ad opes tibi
Aeternas Superûm pios
E' mortalibus omnes,
Qui legis memores tuæ
Execrantur & improbos
Ausus, & fugiunt nefas,
Diuûm & incipiunt in his
Terris ducere uitam:
Vitæ qui à puero uiam
Monstrasti facilis mihi
Sæpe & sæpius inquiens,
Istac, ô bone, particeps
Vti sis meus, ito.
Cur raræ alitis illius
In nidum patulæ arboris
Musas quæ Aonio tibi
Duxit uertice, nobili
Hac me ducis ab urbe?
Illuc auspicijs bonis
Iturum puto me, pater,
Inuolucro hoc in istius
Cùm scriptum uideam sagi
Hæc sanctißima uerba;
Precare auxilium à DEI
Nato, sanguine qui suo
Nos redemit ab hostibus;
Nec scriptum uideo semel,
Verùm sæpius illud,
Intellexi ita uerba ea,

Si ipse te prece, uti iubes,
Orarem, pater optime;
Vniuersa mihi fore
Illic prospera per te.
Ergo nunc equitans tuo,
Pater, supplico numini
Illic spiritus ut tuus
Me curet, foueat, regat,
Seruet tempore in omni.

De Ioannis Paduanii Veronensis, Mathematici excellentiss. operibus, Poëma XXXVIII.

AEterni bona ciuitas Catulli
Semper datq; uiros deditq; doctos;
Vt Fracastorius Maro alter ille est
Magni Flaminij coæuus; utq;
Fumanus grauis & bonus poëta,
Poëta egregius, meus sodalis:
Nunc dedit Paduanium disertum,
Florentem ingenioq;, deditumq;
Architæ studijs: qui & hos libellos,
Et plures alios quidem exarauit,
Quos si nempe leges, repente temnes
Oronti, studiose lector, istas
Ambages: breuitas inest aperta
His uoluminibus uiri potentis,
Tam naturæ hominum bonorum amica.

De D. Helenæ Constantini Imper. matris tumulo, & de Caroli Borromei Cardinalis geanologia, ad Carolum Vicecomitem, Episcopum Intemeliensem, Poëma XXXIX.

INsulam Præsul modicam benigne
Vrbis ad muros furibundus intra
Portum aquis gentis Venetæ quietis
Adria cingit;
Templa fundarunt ubi patris eius,
Cui lyram nostri Dauidis dicamus,
Antè maiores, monumenta quorum
Vidimus illic,
Nos quò Ioannes hodie sodalis
Duxit: intrantes ubi Boius ipse
Nos Mariscotus facilis recepit
Claudius Abbas;
Quos regit prudens, posuere sedes
Hîc uiri pulchras sibi candidati,
Signa portantes oleæ, ad beati
Limina templi.
Vergit ad tristem Boream sepulcrum
Cæsaris magni hîc Helenæ parentis,
Quæ crucem inuenit pia nempe CHRISTI
Antè sepultam;
Cuius è ligno his oculis cruento
In cauo partem tumulo iacentis
Corporis Diuæ, faciemq; matris
Vidimus ipsi.

Est Alexander bonus, à Quirini
Qui sibi nomen trahit, ante sacrum
Conditus nymphæ tumulum; Philippus
Quem dedit ingens,
Magni Ioannis pater, urbis unde
Nostræ & antistes soboles Giberti est
Ortus. hæc nobis grauis indicauit
Deditus Abbas
Caroli famæ, generisq; laudi.
Quò patris longas series auorum
Nobilis scriptas posuit sacratæ ad
Corpora Diuæ,
Vt legant seri pariter nepotes
Nomina & claræ pia facta gentis,
Cuius in templo renouauit omne
Stemma uetustum;
Ac sacerdotum in niueis honorum
Vestibus, uasisq; eadem refecit,
Vt dies nulla hæc patribus futuro
Eximat æuo.
Carolus magno est decimus Philippo à
Casti Ioannis patre, cui decora
Diuiti tantùm fuit una nata
Virgo superstes,
Insubres cùm Dux regeret Philippus
Anguigèr fortes tuus; & locauit
Hanc adoptato iuueni puellam
Ciui Iacobo.
Ipsa Vitalem genuit, Philippum

Atque Vitalis genuit, parentem
Præsulis qui ingens abauus Gibertum
Edidit olim.
Fortè si nescit tuus ista amicus
A' mea Musa celebratus, illi
Tu meæ uitæ DEVS *hæc memento*
Cuncta referre.

De Lycida, Poëma XL.

LYcidas ut ipse pastor, bonus agricola suum
Repente uidit omnes propè deserere caput,
Neque se ualere monstri cohibere per homines
Rabiem, recepit in deuia se loca subitò, &
Inhospitas adiuit properante pede domos.
Bicornis atque Faunus, Satyrusq; leuis ad hunc,
Et undequaque syluestria numina ueniunt.
Huic poma nemorũ mox donant munera Dryades
Fructusq; corylorum, Panes ubi graue calamo
Cecinere: & oram acutis ululatibus agitans
Qui corpus euirauit Veneris nimio odio,
Aduenit Atys, tauri & teneris caua digitis
Cœpit quatere Deûm matris tympana leuia.
Lycidas at æger gaudet; dans cui Dea latices,
Vt potet à cibis, orat, uti canere uelit.
Tacuere cuncti; & incepit carmina facilis
Cantare pastor, ut Tytirus edocuit eum.
Tum ludere agrestes in numerum illico uideas
Diuos, ferasq; motare comam & sibi rigidam

Quercus, ut ipse si Delius ista canat eis.
Inuidit Atys, & mox sibi detrahere furens
Incepit. hospes ægrè tulit illius equidem
Dicta improba, & sonos, atque odiosa facinora.
Fatum suum intuens Pan lacrimantibus oculis
Interdiu & queri nocte, uicem dolet hominis,
Et uulnerauit Atyn uerubus citò miserum.
Congratulantur illi syluæ & uiride nemus,
Satyri, atq; Nymphæ, & ipsa agricolæ pia genitrix.

Ad Stephani Mariæ Hugonii, Brixiani, Equitis nobilißimi literas, responsio; Poëma XLI.

QVòd non Camilla filium nunc edidit
Tibi Camillum, ut ipse dixeram, & lares,
Nec ipse mendax nec fuere Dij lares:
Nam diuiti prædiximus, sed non modò,
Tibi Camillum hunc edituram coniugem.
Modò ut det illum, post tametsi liberas
Plures, nec ipse, nec lares mentiti erunt.
Hanc Gratiam necesse Cæsaream fuit
Nasci prius, quòd Paula solùm & Claudia
Forent duæ, quàm gigneret marem tibi,
Quem filium expectato deinceps; ut lares,
Meq; esse dicas uerum, Eques clarißime.

Ad

Ad librum suum, Poëma XLII.

QVid times? exi. Rhodanumq; uise:
Vise Garumnam, Libyæq; pontum,
Bosphori fines, fluuios Iberi,
Eridanumq;.
Te colent omnes: nisi & augur ipse
Fallitur, uiues, eris atque tota
Clarus Europa liber, alma dum te
Deseret ætas.

M. Antonius Maioragius ad Io. Baptistam Porrum, de Dauidis psalmis uersibus à Spinula & scriptis, & scribendis,
Poëma XLIII.

FLos Porre Insubrium, bonis amice,
Amice Aonidum choris, Aplani
Sedes nanque sacras tui frequentant,
Qui duris quoties seueriorum
Vacas muneribus negociorum,
Libris inuigilas sacris libenter,
Et mentem reficis laboriosam
Diuorum ambrosiaq;, poculisq;:
En iam maximus ille Idumeorum
Et laudes celebrat patris beati
Et implorat opem Deûm poëta
Dulcis candidius, politiusq;.

Triginta hos cape nunc uenustiori
Florentes facie, & lepore cantus
Confectos tibi Spinulæ labore:
Mox totum accipies bene expolitum,
Confectum tibi Spinulæ labore,
Romana Dauidem lyra canentem.

Io. Baptista Porrus ad M. Antonium Maioragium, Poëma XLIIII.

SIcut lymphula riuuli suauis
Antoni esse feris solet, siti cùm
Aestifer canis arua hiulca findit,
Hæc abs te mihi missa liberali
Grata carmina Publii fuere:
Nil optatius est mihi, eloquentis
Quàm per hunc Dauidis uidere musas
Deductum ad Latias poëma totum.
Vt nox longa, quibus puella amata
Mentitur, piger annuusq; ut orbis
Huic, custodia quem premit nouercæ;
Et debenti opus ut dies uidetur
Tarda, ingrata fluunt satis, superq;
Mihi tempora, quæ morantur & spem
Nostram, & consilium boni poetæ
Gnauiter peragendi id, æquè egenti &
Quod lectum hercule proderit beato,
Neglectum puero, & seni nocebit.

Ad

Ad Leonardum Spinulam Faustinus Barbonus Soncinensis sacerdos, Poëma XLV.

Spinula, ò tibi nuncij beati,
Spinula, omnibus unus ex amicis
Antestans lyrico huic poëtæ, honestus
Noctem perpetuam quod ipse Marcus
Dormiturus opus mei sodalis
Inceptum celebrauit eleganti
Versu, mittimus id tibi absolutum,
Doctum Iuppiter, & laboriosum,
Perfectum tibi Publio diserto:
Cuius uersiculi quidem placebunt
Non doctis modò, sed diu manebunt.
(Vt uirtus tua) docta per uirorum
Ora, & perpetuò à bonis legentur.
Vt mortalibus occidit breuis lux,
Non unquam redit amplius, tametsi
Valent occidere & ridere Soles;
Sed uirtus tua Publii & poëma
Non unquam occidet, at perenne uiuet.

Ad M. Antonium cognomento Grosolietum Leonardi Spinulæ ærarij præfectum Ioannes Ceruus Mediol. sacerdos, Poëma XLVI.

O Lux unica ciuitatis huius,
Nunquam Marce mihi tacende, Luna
Donec alta suos rotabit ignes,

Qui sic Pieridum sacros liquores
Cynthio duce lætus imbibisti,
Vti uiuere gaudeant camœnæ
Dulces, quàm fueris diu superstes,
Tandem illos tibi Spinulæ labores
Super Ießiadæ precationes
Serena accipe fronte, perpolito
Ductos ordine sic ad umbilicum,
Vt Antonius occidens amicus,
Qui cum tristibus euagatur umbris,
Perdocto Hendecasyllabo recepit.
Quòd si quis laceret tuum poëtam,
Commendo illius hos tibi libellos,
Cùm iam eos uideas bis eleganti
In lucem calamo editos: aueto.

Octauius Bornatus, Iuris peritus, Brixianus, ad P. Franc. Spinulam, Mediolanensem, Poëma XLVII.

VAtes Aonii dulce decus chori,
Quem charum Charites in gremio fouent
Cingentes uiridi tempora pampino,
Cui puros latices Phocidis est datum
Haurire, atque sacro colloquio frui,
Non olim ueluti Pompilius Numa,
Qui finxit tacitos cum Aegeria sibi
Congressus, populum quò uitijs grauem
Ad cultum superûm pelliceret Deûm,

Quòd

Quòd docto celebras carmine me, tibi
Ingentes habeo Spinula gratias:
Immortalis ero carmine nam tuo.
Quæ uerò referam præmia munere
Tali digna? patrem cœlicolûm precor,
Vt felix uideas Nestoreos dies;
Et, cùm iam Lachesis debita stamina
Fatalemq; operam fessa peregerit,
Vt uirtus superas te euehat ad domos.

Io. Baptista Crassus Michaëlis fil. de P. Francisci Spinulæ Gabrielis fil. præceptoris sui Paraphrasi, Poëma XLVIII.

Exegit doctus monimentum Publius ære
Perennius, situ altius
Illo pyramidum regali, quod fuga nunquam
Opus dierum diruat,
Non series longa annorum, nec uentus, edaxq;
Consumat imber fulmine:
Plurima pars eius uitabit fata, recensq;
Laude usque crescet postera,
Dum segetes in agris maturis Solibus annus,
In collibusq; uuas coquet,
Dum soliti uasto pascentur in æquore pisces,
Viuent & apri montibus.

Paulus Mutius Brixanus ad P. Franciscum Spinulam uatem præstantißimum, Poema XLIX.

EXtat Aristoclis præclarum dogma monentis,
Vt quærat patriæ commoda quisque suæ;
Nos homines hominum causa dixere creatos
Qui uim uirtutis (ut Cicero infit) habent.
Quare cuncta uolens Superis accepta referri,
Omnia cuius opus secla futura legent,
Dauidis ad Latias deduxti carmine musas
Francisce Eois dulce poëma Syris:
Flaminius quod opus uix antè inceperat ingens,
Quàm sibi conijcerent inuida fata manus.
Psalmos iam poterunt pueri, iuuenesq; senesq;
Percipere: ingenium nullaq; cura premet.
Nam tu Romano cultißima lingua lepore
Facundo lepidos edis ab ore sonos.
Tergant ergo rudes tetra rubigine linguas,
Et condant animo uerba Latina suo.

Ad Leonardum Spinulam Io. Baptista Castalionus I. C. Mediolanen. de Spinulæ paraphrasi, Poëma L.

GRata lyræ tangens cùm Dauid fila sonoræ,
Iudæo æternos diceret orbe Deos,
Et Lunæ Solisq; uias, arcanaq; fata,
Et tristes umbras, Elysiosq; choros,
Vt dapibus summi grata testudine patris
Personet,

Personet, hunc terris eripuere DEI.
Eripuere DEI *Latias & Regis apellæ*
Ducentem ad musas carmina Flaminium;
Mulcere ut Superos cantu, cœlestis itemq;
Eridani uitreas sistere posit aquas,
Ad cuius citharam hic requierunt flumina cursus,
Oblita & longas lucida signa uias.
Amißis gemuit lugubris uatibus orbis,
Accusans Diuos, impia fata uocans.
Questibus auditis, tandem mortalibus ægris
Vt caueat, patrem numina magna rogant.
Queis ait, Afflictum solabor Iuppiter orbem,
Qui referat Marcum, Ießiadenq; dabo.
Ac iubet in sacro Parnasi monte repertum
Laurigerum Publi pectus inire DEVM.
Vatis in arcanam mentem se Cynthius abdit,
Dauidis inspirat Flaminijq; sonos.
Tanti igitur uates insignis Apolline plenus
Inceptum uatis Spinula complet opus,
Complet opus gratum Superis, quod nulla uetustas
Deleat, & Publi nomen ad astra ferat.

L. Fabritij Lampugnani, Poëma LI.

AEgyptum spolians olim Iudæa propago
Fugit, & auertens aurea uasa tulit:
Auroq; argentoq; graues, spoliisq; superbi
Magno erexerunt templa superba DEO:
Diuitias aufert ueterum sic Spinula uatum,

Insidens

Insidens casti floribus eloquij:
Verborum cultus & opes fuluoq; nitentes
Diuitias auro congerit ipse sibi:
His opibus spolijsq; incedit clarus, & illa
In templo accumulans, templa nitere facit.

L. Fabricis Lampugnani, Poëma LII.

ILiados pugnas, & Homerica bella frementis
Qui legitis; uel quos arma cruenta iuuant.
O' si his sepositis possetis adesse bibentes
Aure; sonat quicquid Dauidis alma chelis,
Spinula quodq; canit: forsan uetus illa ualeret
Turba poëtarum, tota iaceret iners:
Mæoniæq; tubæ cantus depressus abibit,
Vilis erit, si cum Dauide contuleris
Vilis erit. uilem contemnite, & ætheris almi
Quærite diuitias, æthereas & opes:
Et dum tempus adest inquirite, & aure manuq;
Sumite, quod Dauid Spinulaq; ipse canit.

L. Fabrici Lampugnani, Poëma LIII.

DAuidis ecce rudis fuit olim barbitos, at nunc
Facta Latina manet munere Flaminii:
Spinula suppleuit, Latiasq; inuexit in oras.
Hebrææ renouans fila sonora lyræ.

Con-

Constantini Cati Alexandrini Poëma LIIII.

QVem tua non Publi delectent carmina uates?
Quis non miretur teq;, modosq; tuos?
Emittis facili uersus de pectore, quales
Personat aurata pulcher Apollo lyra.

Dionysii Athanasii Calliensis, Poëma LV.

SPinula dum uarios Latio dat pectine cantus,
Et dulci Adriacas carmine mulcet aquas,
Obstupuit Phœbus: mox mœrens talibus infit,
Heu memini natum sic cecinisse meum.


Vincentij Zini, Brixiani, Poëma LVI.

OMnia Vincenti subierunt gaudia pectus,
Carminibus lectis Spinula docte tuis.
Tu decus es uatum. te dicet nostra camœna,
Atque tuum nomen sidera ad alta feret.

Imitationis Catulli finis.

P. Francisci Spinulæ
MEDIOLANENSIS
EPIGRAMMATON
Libri tres.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS, Ex officina stellæ Iordani Ziletti.
M D L X I I I.

Ioannis Sarij Zamoscij, Polloni, in Spinulæ epigrammata, distichon.

Tempsere Aonides librorũ epigrammata septem,
Legère ut uersus Spinula docte tuos.

STEPHANO MARIAE Hugonio, Brixiano, Equiti clarissimo, S. D.

P. Franciscus Spinula Mediolanensis.



X eo die, quo me ægrotum Brixiæ, ab alijs destitutũ, tua excepit liberalitas, mecũ incepi cogitare, quonam pacto ipse, qui tenuis & inops parem gratiam non possem referre, uel aliquã animi grati significationem tibi darem. Atque animum meum magis magisq́ Marcellus tuus, uel noster potius, in uilla tua, ubi cum Musis humanioribus habuimus commercium, Idib. Septemb. ad hoc ipsum inflãmauit. Cum enim me Hieronymus Dongellinus, ad

uentante hyeme, de Veneta con-
ditione suspensum adhuc teneret,
tuis ille uerbis mihi dixit, quod
deinde ipse etiam eodem die con-
firmasti, te rationibus meis nun-
quam defuturum; ut tuis essem in
ædibus; me tibi certè eò gratius
facturum esse, quò tecum forem
diutius. Literis præterea ad me
nuperrimè datis, mihi & patrimo-
nium, & omnia tua patere decla-
rasti. quo nihil amantius, nihil li-
beralius, meo præsertim hoc tem-
pore, à te fieri potuisse intelligo.
Quamobrem carmina hæc mea,
uix tandem absoluta, ad te mitto,
non mehercule ut æquam tantæ
debitionis solutionem & merce-
dem, sed tantummodo ut euidens
beneuolentiæ signum, animiq; gra

ti ac memoris argumentũ. Cùm enim de Francorum regibus in elegis breuia quædam honorificè prædicauerim, cur non & tibi, Hugone Gallorum rege profecto, cui omnia debeo, hoc opus exiguum consecrem? Familiã enim tuam à Gallia cepisse principium, uera Maluetij ciuis Brixiani histo ria confirmat. Nam idem Hugo, ut legi in antiquissimis tui cuiusdam propinqui commentarijs ma nu scriptis, qui iurato mihi, quasi ab Ioue in concilio Deorum admisso mandauit, uti penes se ea esse nulli omnino planum facerem, idem, inquam, Hugo, anno à Christo salute nostra orto ıↄ cccc lxxxvii post Carolum magnum tertius decimus rex est creatus.

Qui quidem Robertum & Lambertum cùm liberos genuiſſet, Robertus natu maior, regni hæres, fratrem negligere uidebatur. Quapropter Lambertus ſeſe in Germaniam ad Othonem recepit Imperatorem. Vbi Henricum generauit; Henricus Carolum; Carolus Calocerum, Calocerus & Bonfantum & Ioannem Antonium. à Bonfanto autē Hugo & Gonzaga nati fuerunt. Qui fratres cum Federico Imperatore copiarũ ipſius duces Adriani Pontif. Max. tempeſtate in Italiam uenerunt. Vbi certè ab eo inſignibus Aquilæ nouis donati, (anteà enim treis liliorum flores in cœruleo alboq; ſpacio ſemper geſſerant) ipſo in Germaniam redeunte, habi-

tare maluerunt. Hugo deinde generauit Philippum, Philippus Milonem Brixianum, Milo Raimundum & eum Philippum iuris peritum, qui, ut Ioannes Villanus hiſtoricus libro ſexto refert, Federico II Imperatore, Florentiam ad ius dicendum ex Cenomanis euocatus fuit. Hic poſteà Philippus procreauit Hieronymum, Hieronymus Ioannem, Ioannes Ioannem Baptiſtam, Ioannes Baptiſta Bartholomæum, Bartholomæus Bonifacium, Bonifacius Ioannem, Ioannes quatuor fratres, Bartholomæum, Bonifacium, Antonium, & Auguſtinum: de quibus Bartholomæus Stephanum iuris conſultum, Stephanus denique & Philippum, qui

Marcellum genuit, & Hierony-
mum L. Fabii parentem, & Fran
ciscum iuris peritum, à quo tu an
no CIϽ IϽ XXII natus fuisti. Hîc
autem non possum silentio præte-
rire iuris utriusque peritissimum,
quem honoris causa nomino, so-
dalem meum, propinquum tuum,
Hieronymum Hugonium, Ange
li Othonisq; fratrem germanum,
Bonifacio prognatum, quem An
gelus proaui tui Bartholomæi fra
tris filius procreauit. Ad initium
insuper horum nominum descri-
ptionis, in modum arboris depi-
ctæ; hoc erat poema iisdem in
commentariis ascriptum;

Hæc est Hugonis Gallorum antiqua propago
Regis, qui Diuûm sanguine natus erat:
A' quo sunt orti longo pòst tempore fratres
Gonzaga illustris, pulcher & Hugo bonus;

Quorũ atauos fortes dederat Germania: eorum
Illuc à Francis iuerat antè parens.

Cæterùm, ut illuſtria maiorum tuorũ aliquot geſta factaq; commemorẽ, Maluetius ſcribit, Milonem eum, de quo ſuprà meminimus unà cum aliis tribus primariis Conſulem Brixianos feciſſe. Addit etiam & Philippum, artis bellicæ peritiſsimum, maxima in calamitate Bononiam rexiſſe atque tutatum fuiſſe; & Riciardum pro patriæ incolumitate præclara multa geſſiſſe, & Albertum pro eadem in tyrannum iniiſſe cum ciuibus multis conſilium: cui quidem cùm non præſtò fuiſſent conſpirationis ſanctiſſimæ populares, eum ſubitò in carcerem à crudeliſſimo tyranno fuiſſe coniectum. Ca-

preolus uerò alter ciuitatis uestræ historicus, enarrat, & Raimundum, de quo paulò antè meminimus, ut uirum & æquum & sapientem, Mantuanos sibi Prætorem delegisse, & Obizonem animo forti magnoq; fuisse; & Riciardum alterum ita à Brixianis omnibus adamatum, ut in urbis suæ rebus turbulentis totius nobilitatis consensu ad ciuitatem seruandam Prætor creatus fuerit; & Stephanum Equitem generosum, iurisq; ciuilis peritum, patriæ salutis ergò maiorē in modum elaborasse. Multi alij prætereà Hugonij in Mantuanorum Florentinorum, & Mediolanensium annalibus eò collaudantur, quòd uel gesserint magistratū, uel rei militaris scien-

tiam fuerint consecuti. Hic au-
tem mitto, in Hugoniorum illu-
stri familia Iacobum, Angelum,
Paulum, & Franciscum utrunque,
excellenteis iuris consultos, omni
uirtutis genere patrum nostro-
rum memoria floruisse. mitto Sci
pionem & Bernardinum ciuibus
suis armorum scientia bellicisq;
laudibus præstitisse. mitto Ste-
phanum auum tuum, uirum gra-
uissimum, à totius ciuitatis con-
sensu legatum & ad Venetorum
Ducem & ad Maximilianum Im-
peratorem missum fuisse. mitto
Matthiam, Phamagustanum an-
tistitem, iurisconsultum, eius An-
geli, qui Hieronymi sodalis mei
auus fuit, fratrem, ita summos
honoris gradus assecutum, ut uel

Pontificis Max. Referendarius fuerit. mitto etiam eius integerrimum ſucceſſorem, Ioannem Franciſcum, iuris peritum, Hieronymi eiuſdem patruum. mitto hæc uniuerſa, & meam ad inſignia ueſtra conuerto orationem. Quòd igitur ad liliorum flores & Aquilam attinet, cum temporum uiciſsitudine nobilium item inſignia mutari nulli mirum debet uideri. Etenim non Vicecomites ſolùm, ſed multi etiam alij uetera inſignia pro nouis in dies omittunt. Vicecomites enim uniuerſi apud Inſubreis & quadrata uigintiquatuor, quæ nos illorum conſanguinei Spinulæ gerimus (à Belo quidē Vicecomite nati ſumus) & treis coronas, & quercum abij-

cientes, post Magni illius Othonis trophæum, uictum ab eo ipso serpentem ostentare maluerunt. Leonardus item Mocenicus, Venetus, Eques clarissimus, qui legatus ad Ferdinandum Imperatorem à Venetorum senatu missus fuit, ab eodem principe bicipitis Aquilæ insignia cũ rosis suis coniuncta accepit. Itaque cùm alii solas Mocenici rosas ostentent, unum ipsum & Aquilam et rosas uidemus gerere. Gaspar etiam Vicecomes, Beli filius, simul atque ex Insubribus ad Ligures emigrasset, quatuor et uiginti quadratis purpureis glaucisq; glauco in spacio dispositis spinam quandam superiore in parte addidit. Ex quo factum est, ut primò Vicecomes


Spinula, deinde Spinula solum'modo cognominaretur. Sit'ne igitur mirum, si Hugoniorum non nulli adhuc liliorum flores, prima uide licet familiæ nobilis insignia, alij uerò quàm plurimi Aquilam duobus fratribus à Federico donatam habent? Sed, ne te multis occupationibus distentissimum pluribus detineam, quasiq; festinantem in uia demorer, in legendis carminibus meis illud obseruabis, me in quibusdam uocibus literas transposuisse. ut sunt Boterrus, Scancirfus, Tolamius, Lulba: quibus si R, F, L, B, præponantur, consonantesq; suis locis reddantur, ea facilè inuenias. De cætero hoc paruum munus meum, in quo quidem multum desudaui, tibi uelim

ita ſit gratum,ut dona tua et Bri-
xiæ et Venetiis mihi acceptiſsima fuerunt. Vale. Venetiis, Nonis Decemb.

CIↃ IↃ LXII.

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS EPIGRAMMATON

Liber primus.



Ad Illust. & reuer. Adamum Conarchium, Polonum Posnagniensem Episcopum.



Vid uarios hominum mores, generosa propago
Adamæ Antistes, toto miraris in orbe?
Villicus in patulos pomũ incuruauerat arcus
Cõstringẽs laqueo, multis quæ obduruit annis,
Erigere hanc hæres superas modò tendit ad auras:
Quò sterilis fructus aliquot sibi iam dare poßit;
Cui sæpe annosus iam dixit rusticus, Heus tu,
Quid facis insipiens? iam desine: confringetur.
Sic etiam ramos quæ uertit ad æthera onustos
Fructibus, incuruet nemo. est asuescere multum
A' teneris: hoc enim natura fit altera cunctis.

Ad Cæsarem Martinengum, Brixianum, Iacobi fil. Stephani Mariæ Hugonij Eq. cl. sororium.

VT Solis radios Elephas surgentis adorat,
Tu uenerare Deos, exoriente die:
Omnia nam debes Superis pulcherrime Cæsar,
Qui mox edendo consuluere tibi.
Hi nisi seruassent patrem à Gallo, usque fuisset
Persona obscurum nobilis ista Chaos.

Ad Ioannem Baptistam Pignam, philosophum ornatissimum, Ducis Ferrariæ Secretarium, de naturæ rerum omnium parentis prouidentia.

VNdas cùm Lari sulcarem forte profundi,
Dũ premeret Bacchus pinguia musta pe-
Quæ mira audiui quondam, tibi mittere iußit (de,
Me Pigna excellens officiosus Amor.
Litus in aduersum dum pica uolaret, in undas
Puppe exiuit equus, prætertijtq; lacum,
Vxor ubi nautæ uiridi lugebat in acta,
Obruta quòd Cauro flante carina foret.
Indolui, melius quàm nobis belluæ & esse
Alitibus cautum, cùm Dea uoce dedit;
Vt fugeres, quod obest, à Diuis iste tributus
Est animus prudens, est ratioq; tibi:
Quadrupedi at pronæ mater dulcißima nare,
Alarum

Alarum uolucri remigiumq; dedi:
Aequora ut hæc pinnis subitò trans alta uolaret,
Illaq; ne insanis obrueretur aquis.

Ad Iacobum Balamium, Romanum.

QVam tempsisse Paphi sedē canit Albius alter,
Atque illi Venetos præposuisse lares,
Hîc te conspiciens Cytherea, Reuixit Adonis,
Inquit, & Idam odit, ut Cypron ipsa Venus.

De pinu, à Spinula Stephano Mario Hugonio, Brixiano, Equiti clarißimo, donata.

VIdimus in somnis pinum creuisse nouellam,
Cùm DEVS hortorum talia uoce dedit;
Si quid ego hortorum pater, ut uos, mentior, albis
Omne caput merdis inquiner alituum;
Et saxis pueri feriant me; in meq; cacatum
Et mictum ueniant fur, canis, atque sues.
Olim tam Marij præstabit totius urbis
Natis progenies omnibus egregia,
Idus octauo quàm pinus consita Aprilis
Horto alias inter extulit alta caput.
Nobile per totum genus hoc cantabitur orbem,
Vt uolitauit auus docta per ora uirûm,
Cùm iuuenem pulchrum formosa Camilla Camillum
Gaudebit forti se genuisse uiro.

Ad Stephanum Mariam Hugonium, Brixianum, Equitem generosum.

LOcaueris natam oro Piscaræ inclyto,
Matura erit simul uiro:
Quò nupta sit cum Claudio ista Claudia
Pulcherrimo pulcherima.

Ad Octauium, Pallauicinum, Genuensem.

PEnna leuis crescit, faueas generose uolucri
Heros flumineæ, te rogat albus Olor:
Vt sublime ferat nomen tuum ad æthera Cygnus,
Gens apud Insubres quem tua stemma gerit.

In Camilli Piscaræ, nobilißimi ciuis Brixiani, Io. Mariæ fil. Lutetiæ extincti, tumulum.

QVàm tua chare mihi doluerunt fata Camille:
Tristia quis patri nunciet ista tuo?
Tellure externa morienti nulla sororum,
Neu mater lugens ultima dona dedit.
Quæ mortis nigræ fugiat quis uulnera? quando
Omnibus obscuras inijcit illa manus.

Ad Io. Marcum Fagnanum, Mediolanensem.

STultus si sapiens hic est, & qui sapit amens,
Stultitia est potius Marce sequenda bonis.

Mortales

Mortales etenim sapientes maxima summi
Insanos ratio iudicat esse patris.

De Aurelio Portulaca, ciue Brixiano, Pij IIII, Pontif. Max. cubiculario.

EST homini Veneto Muriani fertilis hortus,
Lumina ubi pascit graminis omne genus.
Huc cùm fortè sibi comites me & Gaspara festo
Conduxisset Eques nobilis Hugo die,
Quod genus herbarum placeat, qui conserit hortũ,
A' nobis cœpit quærere Causidicus.
Hic Betam, ille Apium dixit magè diligo. tantum
Andrachnen ipse, Spinula dixit, amo.
Andrachne en surgit Tyberini ad flumina. Melo
Andrachne est ripis charior herba tuis.
Hæc Superis crescit uitreas cœlestis ad undas
Eridani cunctis gratior herba Ioui.

Ad Vincentium Portulacam, Equitem clariss. & iuris utriusq; peritiss. Aurelij fratrem, emblema.

ASpice Vincenti fortissime; seq; suosq;
Falcifero curru perdidit Antiochus.
Victor eris: fortem perdes, inimicaq; castra.
Nanque petent auctorem hostica tela suum.

Ad illust. & reuerendiss. M. Antonium Columnam, Romanum, Archiepiscopum Tarentinum.

DIi mihi quæ dederint insomnia uera Tridenti
Nocte, Pater magne, scribere iussit amor.
Nam uidi in somnis altam creuisse Columnam,
Inter ut efferret lucida signa caput.
Dum sculptas acies in ea, dumq; inclyta facta
Suspicerem, & patrum clara trophæa tuûm,
Fulgere purpureo hancq; ardenti in lumine uidi,
Virtutesq; tuas, exoriente die.

Hieronymi Hugonij I. C. Brixiani apophthegma. διαλόγισμος.

LAurus in urbe tua crescit q̃ plurima. crescit,
Quòd nõ, cui detur laurea, Phœbus habet.

In cuiusdam Brixiani tumulum.

INfelix obij, dum quæro uiuere. uiuos
Vos alit, occîdit me cibus exanimem.

Ad Marcellum Hugonium, Brixianum, Philippi fil.

IPse quidem satis es diues: si plurima desunt,
Coniux & ficus fertilis Hugo tibi est.

Ad

Ad eundem, emblema.

SOluo tibi grates, mihi donas qui bona tantum:
Nam ficus, non ut prima, secunda nocet.

Ad hominem quendam, cognomento Caballum.

HAec tibi cõueniunt cognomina bruta Caballi;
Non magè equo Phœbi diligis ipse chorũ.

Ad Ludouicum Carminatum.

LVdouice ferunt omnes, te ad carmina natum:
Quæ uiuant igitur carmina docta cane.

De Alberti cognomento Roboris prudentia.

BIs geminas aures & bifrons, Ianus ut alter,
Quattuor Albertus lumina paruus habet.

Barnabas Magius Brixianus, de Neapolitano
cæco rogatus, respondit. διαλογισμός.

CVr hic cæcus homo? Quòd nõ dilexerit ipsum,
Nescio quo fato, lux sua, amata nimis.

De quodam Epicureo, ad mortem.

Est, fera mors, porcus pinguißimus; occidatur.
Sit (satis edit enim) iã alijs animalibus esca.

Ad Lucretiam Faitam, Brixianam,
Vincentij Magij dulcißimam
uxorem.

Uxor ut alpini muris sua mittit onusta
Pro curru à forti coniuge membra trahi,
Sic uigil in cunctis rebus succurrere tendis
Ipsa laboranti casta puella uiro.

De Malatesta Martinengo, Comite
illust. Brixiano.

Non ego Martigenã uocitabo hoc nomine for-
Sit mala testa alijs, est bona testa mihi, (tẽ

In quendam uisu acuto gloriantem.

Ille ego sat uideo: magis esto lynceus ipse.
Qui rectum omne uidet, non satis ille uidet?

De

De Hieronymi Bornati effigie, ad eundem.

QVæ deſit, liquidis mens una coloribus inſit;
Mortis ut aſpiciam limina clauſa tibi.

Ad Octauium Bornatum I. C. eius fratrem.

VIr caput ô ſupra fixiſti nobilis ex quo
Tempore germano carmina noſtra tuo,
Cantanti in ſomnis tibi dicere nocte ſerena
Audiui aligerum talia uerba DEVM;
Innumera Octaui te ſpectant lumina cœli;
Fili uentorum, natus es à Borea.
Te euehet ad Superos uirtus tua: ſidus amicum
Cum Polluce agris exoriere tuis.

De ſe ægrotante.

OPtimus ægroto, Superos mortemq; precanti
Talia Marcellus rettulit Hugo mihi;
Quid facis? ô rebus temet ſerauto ſecundis
Spinula. uiue tuis obſecro, uiue tibi.
Vſque procelloſi flent Cauri? fulminet uſque?
Poſt hyemem ſurgit nanque ſerena dies.

De uera animi pietate.

Quid

QVid melius nũmis? nomẽ. quid nomine? rectũ.
Quid recto? pietas. quid pietate? nihil.

Ad Ioannem Baptistam Rotionum, Brixianum, uirum ornatiss. de ijsdem fratribus.

IVstitiam gentis Venetæ mea carmina dicant,
O Baptista ingens, & tua Musa canat:
Innocuos fratres absoluit. gaudeat Ister;
Exiliant Tybris, Addua, Melo, Padus.

Ad Stephanum Mariam Hugonium, Brixianum, Eq. clariss. ægrotans.

A Pluuia canæ dum, uir fortissime, nubes
Dant uarios uultus, & simulacra uirûm,
Ambrosii, Marci, Christi os me spectat Olympo;
Sperare idcirco me meliora uelit.

Ad quædam arrogantem.

CVncta hominũ insipiẽs unus q facta reprẽdis,
Nil dignum faciens, tu quoq; Momus eris.

Franciscus Ricchinus ad P. Franciscum Spinulam.

SIc albam in uolucrem te uidi Spinula uersum,
Cantu ut mulceres æthera dulci sono.

Candida pinna tibi; constansq́; grauisq́; uolatus,
Quem solum admirans suspiciebat humus.

In Rufi auaritiam.

QVi laqueo ut charè se extinguere noluit empto,
Vesanus premitur Rufus auaritia.

Item.

AEuo hominis, renuit mercari qui ære salutē,
Est Rufi infamis sordida uita magis.

Ad quosdam impios fratres.

NOn fratrū excidio sapitis, gens praua, cruēto?
Vt duo, tres æqui puniet ira patris;
Qui cauet innocuis, omnes & plectit iniquos,
Quòd nolunt uerum iustitiamq́; sequi.
Crimen auaritiæ, estq́; infesta superbia Diuis
Atque homini in uobis, omne genusq́; uici.
Ergo quî, cauea inclusi, uitabitis iras
Vltorisq́; in uos numina uersa Iouis?

De quadam fœmina, cuius cum sorore nupta
uir suus rem habebat.

LEuir, ait mulier furibunda, ô caste marito
Sunt geminæ uxores; uir mihi nullus adest.

Ad Daulum Doctum Patauinum, Bernardini fil. uirum ornatiß.

DIuitias & opes cuncti mirantur inanes:
Attamen hæ torquent animos cũ Daule pa
Mortales partæ curis ingentibus implent, (rantur,
Amissæ ijs pariunt cruciatum & denique mortem.
Quò tu uir sapiens contentus uiuere paruo,
Quod tibi sors dederit, cuncta hæc mortalia tẽnis.

Ad Hieronymum Luciagum, Brixianum, cui non sit irascendum, & cui nulla gratia habenda.

OBuius in tenebris Hermẽ, Hieronyme, Flaccus
Esse putans hostem perculit ense graui.
Illi interueniens famulus succurrit, herile
Esse genus credens, eripuitq; nece.
Ignaro hinc parcit generosus præmia at Hermes
Seruo poscenti talia uoce dedit;
Quæ tibi me dicis debere hac nocte tributa,
Sunt abs te dominis ista tributa tuis.
Vt non irasci, nolens qui læsit, amico
Debeo, sic non est gratia habenda tibi.

P. Franciscus Spinula ad Franciscum Ricchinum.

QVæ bone uidisti pictor Ricchine, timentes
Somnia diuinæ nos auis ista beant,

Ad duros recreant fugientem qualia Medos
Visa Themistoclen, dum sibi cuncta timet.

Ad Vincentium Magium, Brixianum, Galeatij fil. de imagine sua à Ricchino inter Iudæos in solitudine picta, iocans.

OPtime Vincenti, sapientia magna renati
Panthoidæ nobis dogmata uera dedit:
Tempore, ab Aegypto quo deserta in loca Moses
Iudæos duxit, Oziel ipse fui.
In Petri æde sacra lugentum nam mea turbas
Inter Hebræorum cernitur effigies,
Effigies huius uera & uerißima uultus,
Ad sacra quam ueniens Brixia tota uidet.

Ad Ricchinum eundem.

QVam mihi largiris ditißime nobilis artis,
Olim quam Zeusis protulit, & Phidias,
Hanc Francisce piæ mittam Ricchine parenti
Picturam; ne abitus defleat ægra meos.
Si des posse loqui, posse & spirare, uidebit
Me totum, optatos sentiet atque sonos.
Attamen exoleant Cimon, Bularchus, Apelles,
Eupompusq́; suo Parrasiusq́; patre:
Ora ita non poterant imitari humana colore,
Vt tu, non ueras effigiesq́; uirûm.
Inuida pictorum te redat turba malorum

Et, quàm uult, operi detrahat usque tuo.
Non olim ualuit quisquam, modò nec ualet ullus
Hercle tui doctas æquiparare manus.
Si potuere aciem uolucrum uua fallere picta,
Lumina tu uerò fallere nostra soles.
Quò sine fine tuum nomen cum uersibus istis
Et tanti ingenij fama superstes erit:
Nam te post cineres laudabunt secula cuncta,
Vt spero, uiuet si mea Musa. Vale.

Ad Claudium Piscaram, Brixianum, Io. Mariæ fil. adolescentem nobiliß.

DVm piscare tibi tripos est inuenta Lacænæ;
Hanc Nysæa tuis retibus implicuit.
Quod munus uate à iusto consultus Agyieus
Pulcher formoso donat habere tibi.
Quò ruis imprudens? uertas ad litora puppim;
Vt nauem in portum uentus & aura ferat.
Qui facie magnum Diuis iacularis amorem,
Dij maris incautum fallere te cupiunt.
Exemplo sapias aliorum: nam tibi in undis
Insidias tendit Iuppiter æquoreus.
Ne contige manu pontum; ne te æquor ad imum
Eripiant oculis numina capta tuis;
Lympharum genitor Veneris torretur aheno
Ipse, tuo uultu Nereidesq; tepent.
Ne piscare igitur deinceps, Heliconis ad umbram
Sed uenias, ubi te nostra Thalia manet.

De eodem in ludis publicis uictore.

PVlcher, ut Androgeos, Nymphis plaudentibus
Claudius in ludis uicit Olympiacis. (ille
Alter enim primas tulit, at Piscara secundas,
Ardent quem Veneres, quē DEVS omnis amat.
Moribus, incessu, forma, sermone, genisq;
Purpureis uris tu pedes, uris eques.

Ad Claudium eundem, & Annibalem fratrem, & Io. Marium patrem.

ANnibal, & Claudi, fratrem lugete Camillū,
Tuq; Mari genitor, quem tulit atra dies.
Ignotis cecidit crudeli uulnere terris,
Huic ubi non genitrix dona suprema daret.
Nos, nos oderunt cœlestia numina; cunctis
Fata etenim nobis sunt inimica Deûm.
Quid mors extinguit fugientem nigra iuuentam?
Nec uenit ad miseros illa uocata senes?

Ad Malatestam Martinengum, Comitem illust. Io. Baptistæ cognomento Hospitis mortem lugentem.

IPse reuiuiscet nunquam Baptista fidelis
Luctibus & lacrimis: quid Malatesta gemis?
Quid

Quid Malasta gemis? non re exorabilis ulla,
Nostra Orcus nobis omnia, nosq; uorat.

De morte.

HIc calcanda semel mortalibus est uia leti:
Omnibus hoc certũ, certa nec hora tamẽ.

Pius IIII. Pontif. Max. Iacobum fratrem extinctum ita alloquens inducitur.

MOrs homini uita melior: me uitaq; magnũ
Reddidit, & summũ mors, Iacobe, tua.

De inuidia.

SPinula si indoctus, miser, & pauperimus esset,
Non hunc morderes, inuidiosa manus.

In Zoilum quendam Brixianum.

SPicula muscarum contemnit flammiger ales,
Magnanimus mures & leo ridiculos.

De patre Brixiano, & filio.

NAtus ab iniusto, quondam genitore malignus
Lælius in tetro carce uinctus erat,
Conscius hunc sceleris periuro teste nefandi
Excmit

Exemit uinclis eripuitq; pater.
Id multum doluit Bollano*, qui dare pœnas*
Hunc meritas cuperet, suppliciumq; graue.
Quem cùm respersum ciuili sæpe cruore
Mitteret inuitus, talia uoce dedit;
Iustitia hæc uideat cœlestûm: nam memor olim
Sanguinis effusi Iuppiter *æquus erit.*
Inde soluta fera erupit crudelis, & usque
Adiecit factis deteriora malis:
Incensus furijs paruo pòst tempore natus
Iurgauit misero cum patre sacrilegus;
Illi inferre manus est ausus: qui citò ferrum
Corripit, hoc ipsum continuoq; ferit.
Lælius induerat thoraca: haud texerat inguen
Totum; istac durus fortè uenit pugio.
Concidit exanimis. Franciscus *mox pater amens*
Est execratus seq;, manumq; suam.
Ingemuit subitò miser. hæc iustißimi ad aures
Iudicis extemplo nuncia fama tulit.
Fortè loquebatur Gallo*: conuersus ad illum,*
Auguste, omnipotens est pater æquus, ait:
Gratulor, esse preces quòd non est passus inultas
Bollani*. iniustis consulit, atque bonis.*
Compede cùm natum constricta educeret ille,
Inq; forent tacito gaudia falsa sinu,
Dixit ei dominus; Quoniam per fasq; nefasq;
Prætoris iustis eripis hunc manibus,
Octaua indignam sobolem luce ipse necabis,
Fungere officio carnificisq; pater.

De Brixiæ antiquis monumentis, à Raphaële Stella unum in uolumen congestis.

BRixia te euexit Raphaël ad æthera doctus,
Conscribens Latijs marmora prisca notis:
Vt tua cognoscant omnes monimenta prius, quàm
Ad superos redeat Stella corusca deos.

Bollani Episcopi apophthegma.

HVgo domũ laudat, non magni antistitis hortos
Vrbis conspicuos undique luminibus.
Hocq; patri repetit, nobis præsentibus, idem:
At præsul sapiens mox dedit ista uiro;
Sunt quibus & nati uxorq;, horum omnino fenestris
Non ullis pateat hortulus atque domus:
Antistes uerò, qui alijs est natus, & hortum
Et loca, ubi degit, omnia aperta sinat:
Atque, alijs cuius documento uita sit, & cùm
Ambulat & dormit, conspiciatur eis.
Quòd si quis tecum deinceps ita sentiat, illi
Bollani hæc referes obsecro dicta tui.

Ad Franciscum Martigenam, Comitem illust.

QVid tu France Togæ, præfertq; Aloysius arma?
Mars illi genitor, Mars genitorq; mihi.

Ad Georgium Martinengum, Comitem illust. Fortunati fil.

EDite magnanimis puer, edite fortibus, hæres
Atque boni proles ô generosa patris,
Perlege quem librum tibi diximus; indue mores,
Indue quos habitus ille poëta docet:
Vt, dominæ rerum Fortunæ filius unus,
Vnus Martigenûm gloria sisq; domus,
Cuius nomen habes, quem secula cuncta loquentur,
Et uincas patrui fortia facta Ducis.

Ad F. Alexium Hugonium, nobiliss. ciuem Brixianum.

ARtibus & studio castæ præsignis Alexi
Diuæ, fit doctus qui tua scripta legat.
Qui tua scripta legat studiosè, nempe disertus
Fit, sapiens, rectus, & grauis, atque bonus:
Sunt & in his ratio, facundia, dogmata, & ordo,
Et uitæ mores & documenta piæ.
Non magis ulla placet Musa, est non pagina Alexi,
Quàm tua, laurigero gratior ulla Deo.
Incana hercle tuos peruoluent secula libros,
Quà terras gelidis profluit Ister aquis:
Atque cauas Rhodani hic codex mittetur ad undas,
Vltimum & Hesperij litus ad Oceani;
Mittetur toto ad diuisos orbe Britannos,

Ad, quam deuastant, frigora semper, humum:
At Petri annales Venetam morientur ad urbem
Hetrusci, tunicas pisciculisq; dabunt.
Hæc mihi sunt Flaui cordi monumenta laboris,
Ipsi quæ legimus, gensq; futura colet.
Taygetæ at chartam plebs laudet inepta cacatam,
Versibus & Muti gaudeat atque modis.

De turpi figura corporis.

NOn mēs esse ualet deformi in corpore pulchra
Quæ exteriora sui signa dat ingenij.

Ad Io. Brunorium Gambaram, Comitem illust. de carminibus suis.

COntigit ut magno, Brunori docte, Tibullo,
Mille colent numeros secla futura tuos.
Mille canent iuuenes; Equitem dat Roma poëtam,
Aeternum generat Brixia & alta uirum.

Ad M. Antonium, cognomento Allegrum.

GRatulor Antoni sapiens & lætor amice,
Gaudere Aonias gaudia nostra tuas.

Ad Ghidinum Cyrillum, Brixianum.

Vnde

VNde tibi hoc nomen deductũ est patria ab urbe?
Brixia Ghidinum duxit ab Aegidio.

In Veneris imaginem, Cupidines duos complectentem.

PVlchra duos mundo genuisti Cypria Amores;
Hic malus est cæcus, hic uidet atque bonus.

Ad illustrißimum Carolum Borbonium, Antonij Vendosmij Ducis, Nauariæq; Regis, & summi Galliarum gubernatoris filium.

VErbis tibi queis Carole ingens gratuler,
Borbonium Nauariæ Regem minus
Patrem tuum perisse, uulgus ut refert?
Non parua enim iactura mors tibi illius
Vendosmioq; Principi fratri tuo
Fuisset, atque Franciæ Regi inclyto:
Hos esse pueros, teq; ephebum cernimus.
Auctoribus male ergo sit quàm peßimis,
Qui falsa dißipare gaudent talia.
Ac multa uincat secla uiuendo tibi
Tantus parens, & ipse uincas plurima.

Ad Franciscum Balduinum Atrebatem, I. C. uirum ornatißimum.

QVòd pater egregijs Francisci in partibus esset,
Deductum à Francis Spinula numen habet:
Quo quia tu gaudes etiam doctißime uatum
Vates, Francisci sis memor usque tui.

Ad R. Grimoutum Falesianum nobilißimum doctißimumq; iuuenem.

QVæ regina potens iam riserat antè beata,
Italia infelix en modò serua gemit.
Quæ mala, dum Latium lustras, te Galle sodalem
Atque tuos comites collacrimasse ferunt.

De Hermolao Barbaro, & M. Ant. Maioragio, Rhetorices Aristotelis interpretib.

EST Maioragi quàm pura locutio docti,
Barbarus Hermoleos nomine, req; fuit.

Ad Franciscum cognomento Mineruam, uulgò malherbam I. C. Brixianum.

NEmo malā uocitet te herbā, qui quippe uideris
Graminibus cunctis dulcior esse mihi.

De quodam Hectore Brixiano.

HEctora quàm fortem genuisti, Brixia: fœtam
Vxorem, socrum, natos, socerumq; trucidat.

In duos cœnobitas, sibi obuios.

Vos asinos dicunt: at callem pulsus ad imum
Peiores asinis Publius ipse uoco.

Ad Alphonsum Capreolum, Brixianum, Comitem illust.

Est animal, ducta unde tibi sunt nomina uiuax.
Perpetuò uiuet nomen in orbe tuum.

Ad Hieronymum Confortium, medicum excell. Brixianum, Aloysii fil.

Phœbigena, & præstans aliis sapientia & arte,
Rident ecce tui, me ueniente, Lares:
Hæc lux Mercurij clara, & cognomen, & istud
Nomen portendunt omnia læta mihi.

Ad Nicandrum, optimum ipsius fil.

Candide Nicander, quòd amat uictoria curã,
Defrauda genium, iustitiamq; cole.

Ad Claudium Piscaram, Brixianum.

Vt colit egregium tellus Babylonia lumen,
Salsis cùm nitidus Lucifer exit aquis,

Suspicit Anguigeri niueos sic urbs mea uultus,
Piscara, & formam Brixia tota tuam.

Ad Albertum cognomento Robur.

QVis facit, ad brumam lauri ut læteris honore?
Vt tua frons uireat semper Apollo dedit.

Ad Lucillum Prosperumq; Martinengos.

MArtigenæ clari, uobiscum luceq; uera
Et spero æterna prosperitate frui.

Ad T. Prosperum Martinengum, Brixianũ, suum.

CAndidus in longum nostros sic Gambara duxit
Causando reditus; Est equitare graue,
Est equitare graue: ficus nunc prima, calorq;
Designatores funeris en decorat;
Occupat en miseram pallor, febrisq; iuuentam;
En quatit effœtos tußis anhela sues.
Innumerabilibus resonant arbusta cicadis
Sole sub ardenti, findit humumq; canis.
Quas secuit ferro, coctas terit area fruges,
Diffunditq; ignes Phœbus & urit agros.
In specubus Damon recubat, Lycidasq; supinus;
Et uirides umbras sima capella petit.
Quò nemorum iaceas & tu sub tegmine mecum,
Quà fluit & nostrum Gambara lambit agrum.

Titus

Titus & ipse tibi Prosper timet, atque caballo.
Ne te ergo in flammas præcipitare uelis.
Post septem luces, cùm sese fregerit æstus,
Siue octo, ad ciues regrediere bonos.

Ad Angelum Hugonium, Hieronymi
I. C. fratrem.

QVid tua portendant hesternæ insomnia noctis,
Mi retulit uates Angele caste bonus,
Responsura meis nunc tandem numina uotis,
Nunc mihi; quæ cupio, prospera cuncta fore.
Ac tua mirantes, inquit, tum commoda amici,
Vix misero credent hæc cecidisse tibi.
Atque ego me uidi in somnis exponere magnis
Dauida Principibus, Pontificiq; Pio.

Vincentij Metelli, Brixiani, tumulus.

ET tuus et noster iacet inclyta Roma Metellus,
Quorum perpetuò fama superstes erit.
Non hanc includant tumuli, non saxa: Metellos
Cantabunt etenim secula cuncta duos.
Inuidiam hic uincit uirtute; furentis inanes
Saturnini acer despicit ille minas;
Incedit spolijs ille & pietate superbus
In patriam, hunc decorant laurea, lingua, fides.

Ad Hieronymum Montium iuris utriusque consultum, Brixianum, Aloysii Cornelij Cardinalis Bergomi Vicarium.

REx Diuûm edocuit Patrem, huc cùm nuncius ires,
Quē pastorē ouibus mitteret ille suis (ires,
Audijt in somnis Musas Cornelius ipse
Dicentes merito talia uerba tibi;
Si qua manet pietas hodie, sapientia, rectum,
Id totum in partes cernimus esse tuas.

Ad Vincentium Magium, Brixianum.

NOmen, qui uoluit pro Christo occūbere mortē,
Cognomē Capua hoc & tibi magna dedit.

Ad eundem.

OPtime eris iuuenis certè Vincentius, omnes
Si uirtute alios exuperare uelis.

Ad Ghidinum Girillum, Brixianum.

CVr te Girillum uocitant? te non magè quenquam
Vidi Pierijs inuigilare choris.

Ad Spinulam Girillus.

Plus

PLus alijs cunctis uigilasti, ut uidimus, ipse:
Idcirco enituit spinula flore suo,

Ad Benedictum Trusum, à Venetis excarnificatum.

DItior ut fias, fratres, Maledicte, trucidas?
Sed lucem hac perdes diuitiasq; nece.

Ad Franciscum Oratorem Cremensem.

FRanciscus (taceas) Francisco inseruiet ultro.
Orator ne me quæso diserte roges.

In Veneri turpi deditos, ad quendam.

MAgnus Alexāder puerorum fugit amores,
Despexit merces & Theodore tuas;
At genus inuisum Superis uitiosa iuuentus,
Vt tu, probra minus desinit ista sequi.

De Aenea, & Perseo.

SVstulit Aeneas fugiens Anchisa per ignes,
Et Perseus patrem sustulit Acrisium.

Ad Gonzagas, & Hugonios.

Gonzaga,

GOnzaga, atq; Hugo fratres cognomina clara,
Excellens uobis atque dedêre genus.

Carmina in antiquißimis libris manuſcriptis reperta.

HAec eſt Hugonis Gallorum antiqua propago
Regis, qui Diuûm ſanguine natus erat:
A' quo ſunt orti longo pòſt tempore fratres,
Gonzaga illuſtris, Pulcher & Hugo pius;
Quorum atauos fortes dederat Germania, eorum
Illuc à Francis iuerat ante parens.

P. Fran. Spinula, & Hieronymus Hugonius
I. C. διαλογισμός.

IMprudens quid agis? patriæ dum conſulis urbi,
Conſulte Hugo, minus conſulis ipſe tibi.
Currere cùm noceat pranſo, tamen euolo, amicis,
Spinula, dans operam, non mihi natus ego.

Ad Io. Baptiſtam Gauardum, Brixianum, Thomæ fil.

CV'm forte Aonides Parnaſſo in mõte ſederẽt,
Quæſiit à docto Calliopea Lino,
Brixia quî ſilici memorem tibi magna querelam
Scalperet, ut fati uenerit atra dies.
Cumq; alios aliæ cecinissent ordine uerſus,
Poſtrema hoc carmen noſtra Thalia dedit;
Hic iacet excellens Heros Baptiſta Gauardus,
Qui

Qui decus & lumen nobilitatis erat,
Qui decorare ſuam ſtuduit Demoſthenis armis
Gentem & Bellonæ, Theſpiadumq; choris,
Dilectus cunctis, hinc uſque ad ſidera notus,
Cynthii & æternùm Martis alumne, Vale.
Verſibus hoc cunctis Muſarum dulce poëma
Audiui Lycium præpoſuiſſe DEVM.

De Carolo V. Imper. & Philippo rege.

QVartus in Auguſtũ q̃d fulminat, atq; Philippũ?
Se putat eſſe parem puluis & umbra DEO.

Ad Carolum Vicecomitem, Senatorem & Epiſcopum Intemelienſem.

QVòd tibi non nulli de me dixere; Caueto
Anguiger imprudens, Spinula te feriet;
Me ſpina genitrix Natura armauit acuta,
Atque eadem gratis induit alma roſis,
A' ſerpente tuo defendunt me mea tela,
At tibi purpureis floribus eniteo.

Ad Carolum eundem equitans cum eo.

DIffugiunt toto pendentia nubila cœlo,
Vt faueant uotis, Carole magne, tuis.

Caroli reſponſum.

NVbila concrescant, modò sit mens ipsa serena,
Et faueant cœptis numina sancta meis.

Ad P. Franc. Spinulam Carolus idem.

SI mihi diuitiæ, si sors quoque Spinula desit,
Carmine, quod facies, ipse perennis ero.

Spinulæ responsum.

NOstra, quod oro Deosq; precor, si carmina uiuēt,
Ipse perennis eris, ipse perennis ero.

Ad laurum suam Carolus idem.

SI complexa mei fueris pia tempora uatis,
Grata magè & nobis laurea dulcis eris.

Spinulæ responsum.

SAnguine te uerris donabo laurea Phœbi,
Si doctæ Anguigeri præmia frontis eris.

De Arno suo Carolus idem.

QVi fuit obscurus multa Arnus secla, poëtæ
Aduentu Publi lympha celebris eris.

Spinulæ responsum.

FIes, Anguigeræ gentis quòd lambis agellos,
Me dicente, omni flumine nobilior.

Ad Carolum eundem.

TE bone senserunt equitantem Carole nubes,
Quæ subitò lymphas continuere suas.
Aeolus incusat uentorum flamina, cantu
Cessantes Boreas & Philomela uocat.

De nucis umbra.

SPinula, uitandi hîc æstus sunt; Anguiger autem,
Hinc fugiamus, ait: est grauis umbra nucis.

Ad M. Antonium Messalam.

EXhilarant animos, Messala, uirentia prata;
Et nostra hinc, illinc pectora mulcet auis.

Messalæ responsum.

EXhilarãt puerię & Nymphæ fraga legentes
Acuiolas, & aquis flumina uiua suis.

Carolus Vicec. ad P. Franc. Spin.

SI placet hospitium Publi, gens, hortulus, ædes
Atque prospectus, dum libet, hîc maneas.

Spinulæ responsum.

HIc ero, uictrices lauros ut dicere poßim
Anguigeri, & nitidos armipotentis equos.

Carolus idem ad P. Franc. Sp. Vatem suum.

QVam faciunt magni lauro, uel iaspide Reges,
Est mihi non Musis digna corona tuis;
Hanc tamen accipias quæso & mea carmina uates:
Numina si faueant, his meliora dabo.

Spinulæ responsum.


ANguiger, hæc magnũ laudabit pagina munus
Si fuerint meritis carmina digna tuis:
Plus mihi, quàm Flacco Mæcenas ipse dedisti;
Contigit huic obolus, sextula nempe mihi.

Epigrammaton libri primi finis.

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS EPIGRAMMATON

Liber secundus.

Ad illustriss. Principem Carolum Lotharingum, sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalem, & Ducem & Archiepiscopum, primariumq; Franciæ Parem.



Vbtilem ac liquidum creto magis, optime Præsul,
Hoc igni è tædis credimus ætheriū:
Corporibus mundi rerum Natura minutis
Illum constituit mobilibusq; parens.
Illius hinc candens uis est dominantior, illi
Obsistitq; nihil, urit & aßiduè:
Non pice, non cera, aut ligno non indigus ullo,
Per se nutritur, qualis Apollineus,
Perpetuoq; manet: fontes cui dat pater igni
Diuûm temptores, quos uorat usque & edit:
Vi grauius tormentorum quibus est sentire
Flecti nunquam ipsis abdita fata Deûm.
Nam si ærumnarum & certum finem esse doloris
Sentirent, non tam pœna molesta foret;
Aeternas scelerum sed cuncti quòd sibi norunt

Pœnas æternos imposuisse Deos,
Occupat in flammis hos desperatio tanta,
Vt certè hæc auidò sit magis igne grauis.

Ad Lulbam, Mediolanensem sacerdotem.

QVi Phrygio gliscens olim sub pectore tanta
Incendit, ut scis, Martis & certamina,
Auctoremq; suum, patriam inflammauit & urbem,
Te Lulba totum adusit ignis perdite.

Ad Primum cognomento Comitem.

NAtorum es primus genitoris, nomine req;
Primus es ingenio qualibet arte tuo;
Doctorum es primus, nulli pietate secundus,
Esq; mihi & semper primus amicus eris.

Primi responsum.

SPinula, parce tuum tantis attollere Primum
Laudibus: at clerum clerice tolle tuum;
Κλῆρος σοῦ χριστὸς, huius ne parcito laudi:
Ille corona mea est, ille corona tua.

Ad M. Antonium Maioragium.

Annibalis

ANnibalis primam Tondentis prima sequatur,
Primaq; Iustitiæ syllaba perficiat;
Quodq; fit ex illis, fuerit dum uita superstes,
Laudibus ad cœlum nostra camœna feret.

Maioragij responsum.

QVid mirum, si Spina rosas emittat olentes,
Et uarijs sentes floribus eniteant?
Cùm dulces, magnosq; ferat iam Spinula fructus,
Quos nec Virgilius, nec Cicero ipse tulit.

Aonius Palearius Verulanus ad P. Fr. Sp.

CArmina mirantur qui tot mi Spinula pangas,
Oraq; semper sint irrequieta tua;
Nam seu iam clauso componat uesper Olympo,
Seu referat roseo Lucifer ore diem,
Cœlestûm psallis regi, nec desinis unquam,
More chori, magnum qui canit ante DEVM.
Scilicet omnipotens mortales fusa per artus
Mens agitat mentem Spinula docte tuam,
Scilicet & speras bene: nam quos spes alit ista,
Et ueniente canunt, atque abeunte die.

Spinulæ responsum.

NOn mea, sed Tulli numeros, unaq; Lucreti
In te mirentur secula cuncta modos,

Seu studeas animos orando flectere, cantu
Seu uates summos æquiparare uelis.
Nec fera perpetuos tibi mors subducet honores;
Semper enim uenies maior in ora uirûm.
Nam qui uicisti Europen, Asiamq; biformis,
Penna leuis uacuum te per inane feret,
Quà Maro, quà Cæsar, Critæus, Tullius, & quà
Cèßit ab humana Flaccus in astra uia.

De Aonio eodem.

HVc fontem Aoniū si Crassus ducet Hetruscis,
Vatibus Insubrium luxuriabit humus.

Ad Io. Baptistam Castilionum I. C.

QVòd, Baptista, tua est Elegëia, noster Iambus,
Dum Venerem cantas, consule quæso tibi:
Ne, tua adhuc fallant si me promißa, cruenti
Hoc telo Archilochi Spinula te feriam.

Castilioni responsum.

NEc tuus Archilochi rabiem spirabit Iambus
Spinula, nec ueniet uirus ab ore tuo,
Sed placidi cantus: etsi promissa rependam
Serius, ignoscet Musa benigna mihi.

Ad Castilionum eundem.

MEnsa parata: dapes coctæ, sed deest mihi potus:
Hunc couiua sibi cōparet, atq; mihi.
Iandudum adueniens latices puruḿq; liquorem
Attulit Aonius. Castalione ueni,
Castalione ueni, sed non sine nectare dulci;
Vt fontem Aonium, Castaliumq; bibam.

De mergo, ænygma.

PRima placet cūctis, media & fuit ultima uestes.
Aesacus, in pontum cuncta simulq; uolant.

De Franc. Bosio I. C. Mediolan.

SI uelit Insubrium consultos Cynthius arma
Dicere, qui dicat, Bosius unus erit.

Item.

BOsius Aonias mecum, dum lucra sequuntur
Ipsi collegæ uilia, potat aquas.

Item.

QVem colit Europe, longo pòst tempore amicū
In cœlo ad Tauri cornua sidus erit.

Ad Ioannem Tonsum iuris peritum, Mediol.

QVid mutare cupis terras, & Solis amictum?
Quid? Romanorum teq; cupido tenet?
Qui domini quondam dominorum, Tonse, fuerunt,
Serui seruorum nunc dominantur eis.

Ad Francisc. Boßium I. C.

INuidia ad placidas inuita Tybridis undas
Boßi increbescit nomen amice tuum.
Dum Pater audiret te Patrum, ingensq; senatus,
Mulcerent animos & tua dicta suos,
Roma, mihi, Tulli facundia magna reuixit,
Candida cuius, ait, hæc humus ossa tegit?

Ad Ludouicũ Madrucium nunc Cardinalem amplißi.

AOnio dulces ueniens à uertice fructus
Ludouice tibi magne dat Aonius;
Insubres hyeme uisenti Spinula flores
Offero, quos Nymphæ, quos amat ipsa Venus.
Musa mihi dixit mittenti hæc uilia, Magnis
Sunt accepta hominum munera parua Deis.

Ad

Ad Bernardum Taxum, poëtam egregium.

CVm Taxus letum mortalibus afferat omnis,
Est dulcis fructus, Taxe benigne, tuus.

De Aonio Paleario Verulano.

Candidus ut nostram uenit Palearius urbem,
Aonij cœpit hic domus esse chori.

Ad Franciscum Crassum, Senatorem Mediolanen.

TE licet hi Crassum uocitent cognomine ciues,
Non Francisce tamẽ crassa Minerua tua est.
Cui tantum est homini diuinæ mentis acumen?
Et mortali animus cui magis est sapiens?
Ingenium pingue & tardum tibi qui putat esse,
Cœleste hoc dicet, si tua scripta legat.

De quodam ambitioso ad Florentios fratres.

POntificis sedem cupiens, opus ambit honestũ,
Paulus ait: sed opes, non opus iste cupit.

De uuis hyeme Hippolytam Gonzagam mißis.

DVm Venus & Mauors rident tenuißima Bacchi
Hippolytæ insigni munera missa Deæ,
Liber ait; Mauors sine me tua prælia frigent:
Tu sine me friges dulcis & ipsa Venus.

Ad Hippolytam eandem.

QVi dixit Cypriam Diuis præstare duabus,
Si te uidisset, præposuisset ei.

Ad eandem.

QVot veneres? binæ. Charites quot? quattuor. Et Aonides? denæ. Cur ita quæso? rogas? (quot
Musa, Erycina, Charis Gonzaga est: præterit omnes
Et cantu & forma, lætitiaq; Deas.

Ad Lippam, Bonus.

LIppa niues frigent; queis nos tamē ipsa petisti,
Heu calidas nimium sensimus esse niues.

Lippæ responsum.

NOn Bone quippe niues calidæ formosæ fuerũt,
Sed te ardenti urit meq; Cupido face.

Ad eandem idem.

QVæ dat ager poma hic præcox, uicina quòd illi
Sol mihi Lippa, tuli cocta calore tuo. (es

Lippæ responsum.

LAta tuo poma haud nostro sunt cocta calore.
Sis mihi tu Phœbus, simq; ego Luna tibi.

Ad eandem idem.

LVx mea, quid cœlũ spectas? fiam ut tibi Olym
Innumeris quò te luminibus uideã. (pus,

Lippæ responsum.

O Vtinam faciant oculos me numina totam:
Vt pulchrum intento lumine te uideam.

Ad eandem idem.

Hei

HEi mihi, fallaci pro te mea Lippa per urbem
Insubrium magnam fabula quanta fui.

Lippæ responsum.

HEi mihi, q̃ nocuit Bonus, hac per quẽ malus
Immensa de me rumor in urbe fuit. (usq;

Ad eandem idem.

LIppa erat his oculis magè chara; at tẽpsimus il
Continuò, postq̃ sensimus esse lupam. (lã

Lippæ responsum.

CHarior his oculis mihi eras Bone, tẽpsimus ip-
Continuò, postq̃ sensimus esse malũ. (sum

Ad Beatricem Patauinam.

TE fuit ipse magis felicior alma Beatrix,
Quòd trepidæ haud motũ Spinula sensit hu
(mus.

De tribus timendis.

VEl fortes homines cõterrent hæc tria, motus
Terræ, iracundũ fulmen, & unda maris.

De duobus I. C.

DVm curru inuehitur Cusanus, & ipse Taberna
Ad cœnam, uati diximus Ambrosio;
Hic conuictor ei cur, & non Carolus ingens?
Stoïcum, ait, curet, qui negat esse Deos?
Hoc similis gaudet simili; his Epicurus alumnus:
Nanque sui porcum scripsit utrunque gregis.

De quodam Augustiniano.

DIsperijt Paulus; quem non sapientia, uirtus,
Sola at barba uirum fecit opaca bonum.

De D. Petri, Paulíq; imagine, in
foribus depicta.

QVid commune precor cum claue ò ianitor ensi?
Hostibus ensis adest, clauis amicitiæ.

In impium quendam.

SIc meritum Paulus de se dum uulnerat, inquit;
Francisce hoc nostri munus amoris habe.
Si rogo mortalis sunt huius talia amoris
Munera, sint odij qualia dona sui?

Ad

Ad Thomam Tosarellum, Theologum, Dominicanum.

SCrutari sophiæ Thomas arcana profundæ
Tosarelle equidem non puerile puto.
Diuinum placeat quare tibi nomen, ineptum
Verùm cognomen respue quæso tuum.

Dialogus Clemens, & Franciscus.

SVnt nimiũ fragiles hi, quos mercare lebetes. F.
Quid? fragilis, Clemẽs, est tua uita magis. C.
Ante duos annos uasa hæc confracta peribunt. F.
Clemens (crede mihi) tu moriere priòr.

De Petro agasone, à Carolo V. Imper. amato.

MAgnus agasonem quare dilexit ineptum
Principis egregii Carolus ipse pater?
Cæsar erat latam ad palati æstate fenestram,
Hac pulsante asinum prætereunte Petro.
Illi cùm dixisset eques; Iam parce misello;
Quadrupedi assurgens, talia uoce dedit:
Ignoscas asine ô domine obsecro; nanq; propinquos
Nesciui affines Cæsaris esse tuos.

De Hippolyto Vicecomite, & filio notho.

DVm pater insequitur natũ, cõclamat, & inq̃t;
Mule fugis nequam, pessime mule fugis:
Cui natus fugiens, Mulum non me ipse uocares,
Si non olim asinus me genuisset iners.
Dumq; Deos genitor rogat hunc ut fulmine perdant,
Ipse ait, Haud penetrat uox asinina polos.

In Bonauenturæ Castilioni tumulum.

QVi iacet hîc Bonauentura istius ædis honestus
Præsul, uirtutis, relligionis honos,
Is bona uentura, haud unquam præsentia amauit;
Quando hæc prætereunt, iugiter illa manent.

Ad F. Bernardinum Rotulam, Medio-
lanensem, Thomæ fil.

VIx Rota fortunæ tandem conuertitur; esto
Fortis: non, ut aues, amplius imus eris.

In laurum Nicolai Sfondrati Episcopi
Cremonensis.

SI quando fueris rubeo contecta galero,
Te dicam, usque uirens, arbor Apollinea.

Ad Pacificis eiusdem Episcopi scribam.

SI mihi non auri referes iam scriba catenam,
Nulla mihi tecum fœdera pacis erunt.

Ad Dionysium I. C. poëtam, eiusdem
Episcopi auditorem.

QVid? Iouis ô soboles, ut magna uolumina legũ
Tractes, Aonios deseris ipse choros?
Dij tibi succensent. redeas: te expectat Apollo,
Te syluæ resonant, te nemus omne uocat.

Ad Octauianum Rauertam Terracie-
nensem Episcopum.

TV patrio uocitas Rauertam nomine, apertam
Cùm Latium rapam dicere maluerit.
Sed Phryxo atque aries olim ut fuit aurius Helle,
Non quales pastum Tytirus egit oues,
Sic, uirtute patrum quæ floruit antè tuorum,
Est rapa hæc studijs aurea facta tuis.

Ad Lulbam de cultu animi.

COrpora quæ ex oculis obeunt erepta repente
Quid Lulba infamis sic moribunda foues?
Ergo

Ergo animum potius, qui æterno semine constat,
Virtute & studijs excoluisse iuuet:

Ad Io. Iacobum Rotulam, Mediolanensem.

CArmina q; multis laudantur nostra malignè,
Nec mihi fortaßis Zoïlus unus erit,
Tu bone tuteris nostras Iacobe Camœnas,
Nam regna in libris sunt tua longa meis.

Ad eundem.

ME licet hic teneant Phœbusq;, nouemq; soro(res,
Est animus tecũ, dulcis amice, tamẽ.
Castaliam potent alij: tua nam mihi lymphis
Est Orona quidem dulcior Aonijs,

A' Cæsarinum Cardinalem, incerti auctoris.

REdde aquilã imperio, dominis quoq; redde co(lumnã,
Vrsinis Vrsum: sola catena tua est.

De Iacobo Tretio, ad Philippum regem.

EXoleant Phidiæ Veneres, & Olympius ille
Iuppiter, Arcesilæ signa, Myronis opus.
Solus Alexandrum Lysippus, solus & ora
Tretius effingat magne Philippe, tua:

Omnibus

Omnibus hîc præstat; certo pòst tempore Olympo,
Quà uia conspicitur lactea, sidus erit.

De Aonio Paleario sene, ad Lucretium.

QValis torpet humus Lucreti, numine puro
Cùm positas glaciat Iuppiter ipse niues,
Qui te carminibus uicit, tardante senecta,
Aonij Musæ consenuere boni.

Ad Octauij Ducis coniugem, de quodam inepto, qui sese oratorem uocabat.

QVæ tibi finxit heri, mulier lectißima, Vates
Si legeret magnus carmina Flaccus ea,
Non oratorem, sibi quod leuis arrogat ipse,
Hunc sed aratorem diceret esse malum.

Dialogus Palearius, & Spinula.

MItte mecũ quæso librũ mihi Spinula amice. S.
Deliras: nobis est nihil hercle tui. P.
Hunc quia composui, meus est liber, at tuus est, quòd
Emisti: ille ergo est & tuus, atque meus.

Ad Io. Ambrosium Lulbam.

ALternare uices Veneris quòd te iuuat usq;,
Non Lulba, at uerum nomen Hyena tibi.

In ignobileis fortunatos.

SImius en turpis lætatur conspici in ostro,
Regis & ornatu se putat esse Iouem.

In quendam pædagogum, quem dominus suus belluam appellauerat.

ES tibi uir sapiens, Hieronyme; sed, mihi crede,
Nec sapiens domino nec uir habere tuo.

Ad I. A. Lulbam.

DEtrahis ipse mihi, te laudo ego: falsus uterq;.
Nemo mihi credit, nemoq; Lulba tibi.

Ex Epigrammatis Græcis, I.

QVælibet est semp mulier mala, tūc bona tātum,
Cùm iacet in thalamo, cùm iacet in tumulo.

II.

INfelix humero captus fert lumine claudum;
Et locat hic oculos, & locat ille pedes.

III.

DIstichon est epigrāma malū; tria carmina si
Ipse poëma quidē, nō epigrāma uoco. (sint,

IIII.

NOn lymphas gelidas bibā;amat te Musa Lyæe:
Vt Venus, & frigent te sine Pierides.

V.

VEl murē, quod ait populus,mordere nocentes,
Verbum sic falsum est, ut secus eueniat:
Vel mus innocuos lacerat, letumq; minantes
Ecce draco sontes horridus ipse fugit.

VI.

DEcidit in foueam præceps, dum nocte serena
Axem stelligerum suspicit ipse Thales.
Transijt hàc mulier, referens à fonte sitellam,
Quæ lycni admoto lumine nouit eum,
Illudensq; uiro tremebunda uoce locuta est,
Concutiensq; caput garrula dixit anus;
Quid? mirare polos, & non præsentia cernis?
I nunc, & ciui stulte futura canas.
Quî uideas celsi sublimia & ardua Olympi,
Si non hîc quæ sunt aspicis ante pedes?

Ad Stephanum Mariam Hugonium, eq. cl.

Optime

TV bone plus alijs Hugo mihi consulis usque,
Ipse & uirtutes & tua facta cano:
Antè mari tellus miscebitur, & mare cœlo,
Quàm nostrum officio desit uterque suo.

Ad Gotardum Baitellum, nobiliss. ciuem Brixianum.

QVòd patriæ affirmas animos, Gotarde, pusillos
Vrbis, & indignos laudibus esse meis;
Ista canit quales deberent esse camœna
Ciues, non quales asseris esse, tuos:
Si tui & Hugonis similes, essentq; Gauardi,
Qualis gens esset, concinuisset eam.
Piscaram excipito, Bornatos, Martigenamq;, &
Luciagum semper, Aemyliumq; tamen,
Atque uirum Lauræ, Mariumq;, aliosq; benignos
Plures, qui digni sunt meliore lyra;
Sint alij dites istis magè; ciuibus isti
Virtute excellunt omnibus atque fide.

Ad Faustinum Borbonum, Soncinensem.

QVis locus Hesperiæ, quænam te detinet ora
Borbone? infelix heu tibi quàm timeo.
Annuus exactis completur mensibus orbis,
Hinc cùm cessisti, dulcis amice, uolans.
Nec tuus est uultus uisus mihi, nec scheda missa
Vnquam: nil de te nuncia fama tulit.

Heu tibi quid cecidit? uel quæ crudelia fata
Aspectum nobis eripuere tuum.
Si fortè ad Superos migrasti, protinus istuc
Et tecum est animæ pars abitura meæ.

Ad Benedictum Patinam medicum excell.

SOlus ut Hippolytum sacro medicamine duxit
Phœbigena excellens à Phlegetonte nigro,
Sic à te (auditu mirabile) Iulius Orco
Pæonia sapiens est reuocatus ope.

Ad Antonium Comitem, citharedum.

QVis ducat, Comes, auritas, ut tu, fide quercus?
Quis sæuæ illiciat pectora dura feræ?

De Leonte Aretino, cælatore.

QVi magni finxit spirantia signa Philippi,
Lysippos uincit Ctesilochosq; Leo.
Quis nudas unquam statuas armauit, ut ipse,
Quem pater ignipotens, tuq; Minerua doces?

De Philippi Regis, Caroliq; patris statuis
ad eundem.

QVos Natura dedit mortales, tu Leo dextra
Palladis æternos reddis & arte Duces;

Perpet uos

Perpetuos reges facis ex mortalibus: horum
Plus, quàm Naturæ, debet uterque tibi.

In Ludouici Moscatelli tumulum.

LVdouice tuos obitus Dryadesq; puellæ
Fleuere, & Fauni, fleuit & ipsa Venus.
Qui lituo & numeris mortales uicerat omnes,
Aggreditur Diuos, Threiciasq; fides.
Felices animæ, mulcet quibus æthera cantu,
Vt stupeant colles, Elysiumq; nemus.

Ad Carolum Vicecomitem, Senatorem Mediolanensem, & Equitem clariß.

DVm propero Latij, patriā & uulgare per orā
Virtutesq; tuas, atq; trophæa patrum,
Vrgeor inuidia & uarijs en casibus, hostis
Efferus insequitur, gens inimica ferit.
Vt sapiens igitur te dicere, Carole, poßim,
Atque tuos, Musis consule quæso meis.

In Caroli eiusdem imaginem.

CArolus excellens heros hic Anguiger ille est;
Deest animus tantùm, cætera cuncta uide.

Ad Christophorum Magnum I. C.

QValis ubi abscondit rosei pulcherrima Phœbi
Olim tristis hyems lumina, cuncta gemūt,
Talis nostra tuo de abitu nunc Musa laborat
Assiduè, ætatem sollicitatq; suam.

De reditu suo in gratiam cum Maioragio.

GRatia, liba ferā, Chio & spumantia Baccho
Pocula plena, aras imbuet agna tuas,
Quòd me iungis ei, unde hæc diuellere Erynnis
Tendebat patrio dira fugata solo.

Ad Dionysium Athanasium, Calliensem.

QVid? modus in rebus tibi sit, Iouis optime fili:
Sic bonus esto aliis, ut tibi sis melior.

Ad Theodorum Florentium, Mediolanensem.

TAurus ut æthereis aperit cùm cornibus annū,
Herbas & flores Dædala terra parit,
Sic, spirante Noto facili, defuncta periclis
Floruit afflatu Spinula nostra tuo.

In Francisci Oliuæ tumulum.

PAlladis æternoq; & Phœbi dignus honore
Frondis, in hoc tumulo magnus Oliua iacet.
Arbor ut, unde sibi ducit cognomen honestum,

Est eadem semper, perpetuoq; uiret,
Sic fora qui rarus tempsit Consultus, opesq;
Nobilis, & lingua doctus utraque fuit,
Fortia qui cecinit clarorum facta uirorum,
Nomen & huic uati fama perennis erit.

De quibusdam resipiscentibus, ad Io. Baptistam Crassum.

Vota facit Rocho, Dijs & gens impia tẽptis,
Illius ut populos attigit orta lues:
Sic facili paret mulier pulsata marito,
Sic puer & patiens uerbera, Crasse, sapit,
Sic recta it stimulo delirans taurus arator,
Sic calcaris iners uulnere currit equus.

De puella, quæ amanti donauit annulum, in quo sui erant oculi incisi.

Lumina dans Marti dono formosa Dione,
Non satis, inqt, ero Mars tibi nota Venus,
Si tibi non oculos donauero protinus, hæc ut
Admirere meis lumina luminibus.

De Venere, & Minerua.

Mars armat Cypriam: uidet illã forte Miner(ua
Et, pugnemus, ait, iudice Marte tuo.

Mauors, armatam poteris quî uincere, dixit,
Quæ te nuda Deam uicerit antè Dea.

De Venere, Iunone, & Pallade.

I*Bant ad Paridem tres Diuæ, & fortè uidentes*
Aduentare hominem, Cypria prima refert,
Dicite qui sexus uenienti. fœmina Iuno,
Masculus at Pallas dixit, utrunque Venus.
Vt propius ueniunt, mas an sit fœmina quærunt,
Qui postquam dixit, Hermaphroditos ego,
Mox à iudicio metuunt Saturnia, Pallas;
Omen lætatur mox Erycina bonum.

De legatis trib. Romanorum, in Bithyniam profi-
ciscentib. apophthegma.

D*Vm tres legati ad socios, pede primus, & al*
Vertice, fortè animo tertius æger eunt, (ter
Ipse Cato patribus, Legatio menteq;, dixit,
Et capite infelix, & pede nostra caret.

Dialogus.

V*T tibi det nostros bis septem Iuppiter annos.*
Tu ne esses, omnes contribuisse uelim.

Ad Tobiam Prandonum, Bustensem, medicum.

Quàm

QVàm tibi prandenti ſimile eſt cognomen duitū,
Et uoce atque Deos moribus æquiparas.

Ad Augſtinum Vincemalam, Lignanenſem, medicū.

Diuitias cupis augere? & uitia omnia magno
Atque uoluptatem robore uince malam.

Ad Donatum Rotam, Lignanenſem, medicum, & Philoſophum excellentem.

TV, Rota, ſi patrias artes imitere, colaſq;
Virtutem, & uites crimina, Dorus eris.

Ad Hieronymum Moltenum, Mediolan. medicum, & Philoſophum excellentem.

ES dignus ſacro hoc Hieronyme nomine, te Sol
Nil quando in noſtro ſanctius orbe uidet.

Ad Aurelium Lampugnanum, Lignanenſem, medicum, & Philoſophum excellentem.

HIc ſi ſint alij ſimiles tibi, tempore nobis
Aurea poſsimus condere ſecla breui.

De ſimplicium hominum credulitate.

PAstoris fuluo dum blandior ipse Laconi,
Non mihi confidit; pasco, fugitq; tamen.
Ast ego, qui præstat cunctis animalibus omni
Fraude, credo homini, decipiorq; miser.

Ad Aloysium Mocenicum, Venetum, Leonardi Equitis clariß. fil.

CVm Natura tibi quantũ iræ afferret amoris,
Iusta premebatur pondere libra pari.

Ad eundem.

FRons lata Antoni & placeant nigra lumina pa
Lumina sunt Veneris, frõs venerisq; tibi. (tri.

De eodem.

ADmiranti aurum Leonardo Spinula dixit,
Hoc magis est nati mens preciosa tui.

De eodem.

CVr atauis præstat Mocenicus amabilis ingẽs?
Alcidem ignoras hunc genuisse Deos?

Ad eundem.

MAgnus Aristocles Venerē confirmat Amo-
O' Mocenice potēs, hîc genuisse duos. (res,
Huic animi speciem dedit unus, corporis alter
Illi; ast ambo manus imposuere tibi.
Hoc alij capiunt, siue hoc, uerùm ipse decore
Mortales omnes solus utroque capis.

Ad Antonium Mocenicum, Leonardi Equi-
tis clariss. fil.

CV'm tuus ecce bonas frater colat optimus ar-
Te puer Antoni desipuisse iuuet? (tes,
Quid? malè semper agens, ouo tu natus eodem,
Offendas animos & patris, atque meos?

Ad Paulum Manutium, de Aloysii Moceni-
ci ingenio.

LItus arenosum non sulcat Spinula doctor,
Et sua non sterili semina ponit humo:
Nanque uoluptates spernens Aloysius omnes,
Defraudat genium, iustitiamq; colit.
Huius gentis eo non est humanior alter.
Qui se post letum nobilitare cupit:
Vt sit dignus eis, facilem queis laudibus ipsum
Exornant libri, candide Paule, tui.

Ad Marinum Caballum, Venetum.

Omnibus hîc præstat ; certo pòst tempore Olympo ,
Quà uia conspicitur lactea , sidus erit .

De Aonio Paleario sene , ad Lucretium .

QValis torpet humus Lucreti , numine puro
Cùm positas glaciat Iuppiter ipse niues ,
Qui te carminibus uicit , tardante senecta ,
Aonij Musæ consenuere boni .

Ad Octauij Ducis coniugem , de quodam inepto , qui sese oratorem uocabat .

QVæ tibi finxit heri , mulier lectißima , Vates
Si legeret magnus carmina Flaccus ea ,
Non oratorem , sibi quod leuis arrogat ipse ,
Hunc sed aratorem diceret esse malum .

Dialogus Palearius , & Spinula .

MItte mecũ quæso librũ mihi Spinula amice. S.
Deliras : nobis est nihil hercle tui . P.
Hunc quia composui , meus est liber , at tuus est , quòd
Emisti : ille ergo est & tuus , atque meus .

Ad Io. Ambrosium Lulbam .

ALternare uices Veneris quòd te iuuat usq; ,
Non Lulba , at uerum nomen Hyena tibi.

In ignobileis fortunatos.

SImius en turpis lætatur conspici in ostro,
Regis & ornatu se putat esse Iouem.

In quendam pædagogum, quem dominus suus
belluam appellauerat.

ES tibi uir sapiens, Hieronyme; sed, mihi crede,
Nec sapiens domino nec uir habere tuo.

Ad I. A. Lulbam.

DEtrahis ipse mihi, te laudo ego: falsus uterq;.
Nemo mihi credit, nemoq; Lulba tibi.

Ex Epigrammatis Græcis, I.

QVælibet est semp mulier mala, tūc bona tātùm,
Cùm iacet in thalamo, cùm iacet in tumulo.

II.

INfelix humero captus fert lumine claudum;
Et locat hic oculos, & locat ille pedes.

III.

DIstichon est epigrāma malū; tria carmina si
Ipse poëma quidē, nō epigrāma uoco. (sint,

IIII.

NOn lymphas gelidas bibã;amat te Musa Lyæe:
Vt Venus, & frigent te sine Pierides.

V.

VEl murē, quod ait populus,mordere nocentes,
Verbum sic falsum est, ut secus eueniat:
Vel mus innocuos lacerat, letumq; minantes
Ecce draco sontes horridus ipse fugit.

VI.

DEcidit in foueam præceps, dum nocte serena
Axem stelligerum suspicit ipse Thales.
Transijt hàc mulier, referens à fonte sitellam,
Quæ lycni admoto lumine nouit eum,
Illudensq; uiro tremebunda uoce locuta est,
Concutiensq; caput garrula dixit anus;
Quid? mirare polos, & non præsentia cernis?
I nunc, & ciui stulte futura canas.
Quî uideas celsi sublimia & ardua Olympi,
Si non hîc quæ sunt aspicis ante pedes?

Ad Stephanum Mariam Hugonium, eq. cl.

Optime

TV bone plus alijs Hugo mihi consulis usque,
Ipse & uirtutes & tua facta cano:
Ante mari tellus miscebitur, & mare cœlo,
Quàm nostrum officio desit uterque suo.

Ad Gotardum Baitellum, nobiliß. ciuem Brixianum.

QVòd patriæ affirmas animos, Gotarde, pusillos
Vrbis, & indignos laudibus esse meis;
Ista canit quales deberent esse camœna.
Ciues, non quales asseris esse, tuos:
Si tui & Hugonis similes, essentq; Gauardi,
Qualis gens esset, concinuisset eam.
Piscaram excipito, Bornates, Martigenamq;, &
Luciagum semper, Aemyliumq; tamen,
Atque uirum Lauræ, Mariumq;, aliosq; benignos
Plures, qui digni sunt meliore lyra;
Sint alij dites istis magè; ciuibus isti
Virtute excellunt omnibus atque fide.

Ad Faustinum Borbonum, Soncinensem.

QVis locus Hesperiæ, quænam te detinet ora
Borbone? infelix heu tibi quàm timeo.
Annuus exactis completur mensibus orbis,
Hinc cùm cessisti, dulcis amice, uolans.
Nec tuus est uultus uisus mihi, nec scheda missa
Vnquam: nil de te nuncia fama tulit.

Heu tibi quid cecidit? uel quæ crudelia fata
Aspectum nobis eripuere tuum.
Si fortè ad Superos migrasti, protinus istuc
Et tecum est animæ pars abitura meæ.

Ad Benedictum Patinam medicum excell.

SOlus ut Hippolytum sacro medicamine duxit
Phœbigena excellens à Phlegetonte nigro,
Sic à te (auditu mirabile) Iulius Orco
Pæonia sapiens est reuocatus ope.

Ad Antonium Comitem, citharedum.

QVis ducat, Comes, auritas, ut tu, fide quercus?
Quis sæuæ illiciat pectora dura feræ?

De Leonte Aretino, cælatore.

QVi magni finxit spirantia signa Philippi,
Lysippos uincit Ctesilochosq; Leo.
Quis nudas unquam statuas armauit, ut ipse,
Quem pater ignipotens, tuq; Minerua doces?

De Philippi Regis, Caroliq; patris statuis ad eundem.

QVos Natura dedit mortales, tu Leo dextra
Palladis æternos reddis & arte Duces;

Perpetuos reges facis ex mortalibus: horum
Plus, quàm Naturæ, debet uterque tibi.

In Ludouici Moſcatelli tumulum.

LVdouice tuos obitus Dryadesq; puellæ
Fleuere, & Fauni, fleuit & ipſa Venus.
Qui lituo & numeris mortales uicerat omnes,
Aggreditur Diuos, Threiciasq; fides.
Felices animæ, mulcet quibus æthera cantu,
Vt ſtupeant colles, Elyſiumq; nemus.

Ad Carolum Vicecomitem, Senatorem Mediolanenſem, & Equitem clariß.

DVm propero Latij, patriã & uulgare per orã
Virtutesq; tuas, atq; trophæa patrum,
Vrgeor inuidia & uarijs en caſibus, hoſtis
Efferus inſequitur, gens inimica ferit.
Vt ſapiens igitur te dicere, Carole, poßim,
Atque tuos, Muſis conſule quæſo meis.

In Caroli eiuſdem imaginem.

CArolus excellens heros hic Anguiger ille eſt;
Deeſt animus tantùm, cætera cuncta uide.

Ad Chriſtophorum Magnum I. C.

QValis ubi abscondit rosei pulcherrima Phœbi
Olim tristis hyems lumina, cuncta gemũt,
Talis nostra tuo de abitu nunc Musa laborat
Aßiduè, ætatem sollicitatq; suam.

De reditu suo in gratiam cum Maioragio.

GRatia, liba ferã, Chio & spumantia Baccho
Pocula plena, aras imbuet agna tuas,
Quòd me iungis ei, unde hæc diuellere Erynnis
Tendebat patrio dira fugata solo.

Ad Dionysium Athanasium, Calliensem.

QVid? modus in rebus tibi sit, Iouis optime fili:
Sic bonus esto aliis, ut tibi sis melior.

Ad Theodorum Florentium, Mediolanensem.

TAurus ut æthereis aperit cùm cornibus annũ,
Herbas & flores Dædala terra parit,
Sic, spirante Noto facili, defuncta periclis
Floruit afflatu Spinula nostra tuo.

In Francisci Oliuæ tumulum.

PAlladis æternoq; & Phœbi dignus honore
Frondis, in hoc tumulo magnus Oliua iacet.
Arbor ut, unde sibi ducit cognomen honestum,

Est eadem semper, perpetuoq; uiret,
Sic fora qui rarus tempsit Consultus, opesq;
Nobilis, & lingua doctus utraque fuit,
Fortia qui cecinit clarorum facta uirorum,
Nomen & huic uati fama perennis erit.

De quibusdam resipiscentibus, ad Io. Baptistam Crassum.

VOta facit Rocho, Dijs & gens impia tēptis,
Illius ut populos attigit orta lues:
Sic facili paret mulier pulsata marito,
Sic puer & patiens uerbera, Crasse, sapit,
Sic recta it stimulo delirans taurus arator,
Sic calcaris iners uulnere currit equus.

De puella, quæ amanti donauit annulum, in quo sui erant oculi incisi.

LVmina dans Marti dono formosa Dione,
Non satis, inqt, ero Mars tibi nota Venus,
Si tibi non oculos donauero protinus, hæc ut
Admirere meis lumina luminibus.

De Venere, & Minerua.

MArs armat Cypriam: uidet illā fortè Miner(ua
Et, pugnemus, ait, iudice Marte tuo.

Mauors, armatam poteris quî uincere, dixit,
Quæ te nuda Deam uicerit antè Dea.

De Venere, Iunone, & Pallade.

IBant ad Paridem tres Diuæ, & fortè uidentes
Aduentare hominem, Cypria prima refert,
Dicite qui sexus uenienti. fœmina Iuno,
Masculus at Pallas dixit, utrunque Venus.
Vt propius ueniunt, mas an sit fœmina quærunt,
Qui postquam dixit, Hermaphroditos ego,
Mox à iudicio metuunt Saturnia, Pallas;
Omen lætatur mox Erycina bonum.

De legatis trib. Romanorum, in Bithyniam profiscentib. apophthegma.

DVm tres legati ad socios, pede primus, & al
Vertice, fortè animo tertius æger eunt, (ter
Ipse Cato patribus, Legatio menteq;, dixit,
Et capite infelix, & pede nostra caret.

Dialogus.

VT tibi det nostros bis septem Iuppiter annos.
Tu ne esses, omnes contribuisse uelim.

Ad Tobiam Prandonum, Bustensem, medicum.

QVam tibi prandenti simile est cognomen auitũ,
Et uoce atque Deos moribus æquiparas.

Ad Augstinum Vincemalam, Lignanensem, medicũ.

Diuitias cupis augere? & uitia omnia magno
Atque uoluptatem robore uince malam.

Ad Donatum Rotam, Lignanensem, medicum, & Philosophum excellentem.

TV, Rota, si patrias artes imitere, colasq;
Virtutem, & uites crimina, Dorus eris.

Ad Hieronymum Moltenum, Mediolan. medicum, & Philosophum excellentem.

Es dignus sacro hoc Hieronyme nomine, te Sol
Nil quando in nostro sanctius orbe uidet.

Ad Aurelium Lampugnanum, Lignanensem, medicum, & Philosophum excellentem.

HIc si sint alij similes tibi, tempore nobis
Aurea possimus condere secla breui.

De simplicium hominum credulitate.

Pastoris

PAstoris fuluo dum blandior ipse Laconi,
Non mihi confidit; pasco, fugitq; tamen.
Ast ego, qui præstat cunctis animalibus omni
Fraude, credo homini, decipiorq; miser.

Ad Aloysium Mocenicum, Venetum, Leonardi Equitis clariss. fil.

CVm Natura tibi quantũ iræ afferret amoris,
Iusta premebatur pondere libra pari.

Ad eundem.

FRons lata Antoni & placeant nigra lumina pa
Lumina sunt Veneris, frõs venerisq; tibi. (tri.

De eodem.

ADmiranti aurum Leonardo Spinula dixit,
Hoc magis est nati mens preciosa tui.

De eodem.

CVr atauis præstat Mocenicus amabilis ingẽs?
Alcidem ignoras hunc genuisse Deos?

Ad eundem.

Magnus Aristocles Venerē confirmat Amores,
O Mocenice potēs, hîc genuisse duos.
Huic animi speciem dedit unus, corporis alter
Illi; ast ambo manus imposuere tibi.
Hoc alij capiunt, siue hoc, uerùm ipse decore
Mortales omnes solus utroque capis.

Ad Antonium Mocenicum, Leonardi Equitis clariss. fil.

Cvm tuus ecce bonas frater colat optimus artes,
Te puer Antoni desipuisse iuuet?
Quid? malè semper agens, ouo tu natus eodem,
Offendas animos & patris, atque meos?

Ad Paulum Manutium, de Aloysii Mocenici ingenio.

Litus arenosum non sulcat Spinula doctor,
Et sua non sterili semina ponit humo:
Nanque uoluptates spernens Aloysius omnes,
Defraudat genium, iustitiamq; colit.
Huius gentis eo non est humanior alter.
Qui se post letum nobilitare cupit:
Vt sit dignus eis, facilem queis laudibus ipsum
Exornant libri, candide Paule, tui.

Ad Marinum Caballum, Venetum.

Hic

HIc tibi conueniunt hæc nomina: nanq; Marini
Regis equũ hîc tellus icta tridente dedit.

Ad Ioannem Delphinum.

VT micat hîc Venetos inter Delphinus, & in
Ardebit superi lucida signa poli. (ter

Item.

AEthera ad alta celer te Pegasus euehet, ales
Vel Iouis; ut radies comminus inter eos.

Ad Carolum Sigonium, Mutinensem.

CArole si Venetûm pie, qui tua castra sequũtur,
Est decor, & probitas, & tibi grata fides,
Forma alijs Rufus multùm, & bonitate Priullus,
Atque fide præstant Maurus & Amulius.

Ad Io. Andream Anguillaram, opus pium
aggredi statuentem.

QVòd monitis aurẽ his aduertis, Dij maris omnes
Piscibus Anguillam præposuere tuam.

De Ioannis Baptistæ Maguntij, Estensis, in-
genio mirabili.

O' Calamos tractans agrestes, quid rogo Musæ
Flumina Sicelides nunc Patauina colunt?
Quòd Ludouica ardens niuea, Maguntius illas
Et canit & pingit, solus utrunque ualens.
Huic data pictoriq; & uati est æqua potestas
Fingendi magnis quidlibet à Superis:
Nanque uiro, seu depingat, seu carmina pangat.
Est hîc atque illic ingeniosa manus.

Ad Pompeium cognomento Canem, Interne-
liensis Episcopi Secretarium.

QVòd bona, Pompei, cunctis communia nobis
Minus deesse cerno, quòd lux est breuis;
Hunc dolor aut morbi, paupertas turpis & illum,
At mortis angat una nos necessitas.

Ad illustriß. & reuerendiß. D. D. Guidonem Asca-
nium, Sfortiam, Cardinalem ampliß.
de duello.

NOn Christianus ille Guido est, qui impias
Leges duellorum tulit,
Qui sic necatur causa honoris proprij,
Descendit ima ad tartara.
Crudelis est, qui pugnat; hunc & qui sinit
Pugnare, crudelißimus.

CHRISTVS *dominus ad hominem.*

ACcipe, qui mundi loca per tenebrosa uagaris,
Vltima quæ moriẽs hæc tibi uerba loquor;
Me pietas, & amor cœlo deduxit ab alto,
Et pro te fecit uerbera dura pati,
Et pro te mortem iußit me occumbere acerbam,
Innocua ut ferro quæ iugulatur ouis:
Impositus ne auidis torrescas ignibus, hora
Est ubi perpetuis ultima nulla malis.
Ergo, mei durus si non miserere doloris,
Iam sapiens animæ uel miserere tuæ.

In ea domini uerba, Ego sum uitis, & uos palmites. Ioan. 15.

VT sine mente nequit corpus, cõstare nec ipsa
Per se mens aliquo tempore nostra ualet.
Artubus insinuata anima à patre, corporis huius
Vita est: uita DEI *spiritus est animæ.*

Ad Aonium Palearium Verulanum

AD prandium inuitaris à Florentio.
Domi ipse te moror comes.
Vt Craßus, iste diues est; floret opibus,
Virtute item non impari.

Responsum Palearij.

NOn est amicum fallere probi uiri:
Me Crassus expectat domi.
Tu gratias Florentio age pro me, quem amo
Humanitate plurimùm.

De illustrißimo & reuerendißimo D. D. Ioanne Francisco Gambara Cardinali amplis.

TV fera dum Cancer præcedes ora Leonis,
Francisci maneant splendida gesta Patris.
Plurima sunt eius germano sidera fratri
Commoda, sunt illi commodiora polo:
Tempus erit, CHRISTI quo uictis hostibus illum
Ipsum Pontificem Roma beata colet.

De seipso uulnerato, ad Hieronymum Ruscellium, uirum ornatiß.

SAcra feram magno Diuûm solennia patri,
Maturabo Deis soluere uota meis.
Pocula plena feras Baccho, dulcißima mater;
Tuq;, soror, libum, uirq; sororis ouem.
Candide Ruscelli, grata testudine Diuos
Oblecta, iungens carmina docta lyræ.
Septima lux oritur, nos ex quo extinguere Paulus
Est conatus iners, sed uetuere DEI.

Cur

Cur uetuere ? puto, quòd nobis illa tremenda
Non unquam placuit ſcindere iuſſa patris;
Aetherei per quos uidiſti lumina Solis,
Hos ſumma fili fac pietate colas:
Vt tibi contingat multos feliciter annos
Iſta, præſenti numine, luce frui.
Mortuus eſt frater iuuenis, quòd tempſerit illos,
Abſtulerit patrio ſanguine parta mihi.
Hæres germanus cum uita perdidit aurum;
Hoſtibus huicq́; ſuæ dilacerantur opes.
Ac pœnas ſceleris patrij dant quattuor orbæ,
Et geminæ morbis, interituq́; duæ.
Vxorem furiæ uexant, agitantq́; malignam,
Quæ mentis compos non ualet eſſe ſuæ.
Diſcite mortales ſuperos non temnere Diuos:
Exemplo hoc ſapiens quilibet eſſe poteſt.

Epigrammaton libri ſecundi finis.

P. FRAN-

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS EPIGRAMMATON

Liber tertius.

Ad illustriss. Principem Carolum Lotharingum, sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalem, & Ducem & Archiepiscopum, primariumq; Franciæ Parem.



Arole cùm sapiens cunctis uideatur amare
Immeritos hostes durius esse mihi,
Dum refugit sensus CHRISTI *mandata, superbis*
Sæpe mihi uerbis hæc repetisse iuuat:
Sunt ea dura tibi scelus? Hostem dilige: nequam
Defrauda genium. durius illud erit;
Sacrilegi æternos à me discedite in ignes,
Ausi immortalis scindere iussa patris;
Inter cùm cupiet Pœnos errare leones,
Prauus cùm tigres pascere quæret homo;
Cùm iugi incipient fontes tabescere luctu,
Torrescentq; auidis ignibus impositi;
Cùm grex ad nihilum reuocari orabit iniquus,
Nec mortem impuris abdita fata dabunt.

Ad ciuitatem Ferrarienſem, de Io. Baptiſta Pigna, Græcis & Latinis & Hetruſcis Muſis debito.

VT, lyricas olim Flacco meditante Camœnas,
Vel nota Eois Tybridis unda fuit;
Sic cantante tuo Pigna, Ferraria, ad aſtra
Conuertit uitreas nunc Padus amnis aquas.

De uita M. Antonij Flaminij, à ſe inchoata, ad Donatum Rullum.

PEndet opus cœptum: Venetã nec tẽdis ad urbẽ.
Te moror. huc tandem candide Rulle ueni.
Ipſe mihi in ſomnis Marcus: Tu ſcribere de me
Cœpiſti; compar nec meus ille uenit.

Ad Ioannem Tonſum I. C. Mediol.

TRiſtis amarities curis quàm miſcuit atris
Heu mane Aonios, optime Tonſe, choros.
Nuncius horribilis nos exanimauerat omnes,
In tenebris ferro te cecidiſſe canens.
Spinula lugebat, lugebat Boſsius, orans
Diuos, ut mendax nuncia fama foret,
Iſtuc cùm Magnus uenienti rettulit ægro,
Mentitam inuidiam, teq; ualere, mihi.
Quare Dis ſuperis, & habetur gratia patri,
Felem in uertenti gaudia magna meum.

Candide Tonse, tuos uultus uisam; atque canemus
Quæ uotis hominum numina sancta fauent.

Fontij apophthegma.

DAmnatus Venetis, Vestra est sentētia iniqua,
Christi ad tribunal prouoco, inquit Fontius.

Ad Hieronymum Zanium, Venetum, Marini fil.

TVrpia sint alijs, non formoso, ora Priapi;
Quæ, Zani, affinem dicis habere tuum.

Ad eundem.

NOn tibi cognomen patrium uideatur ineptū
Zanius, hæc & uox nil tibi uile sonet;
Nam minus ut Brutus Decimus fuit ille Quiritum
Gente immortali, iudice Marte suo,
Fortibus è Venetis Troiano Antenore natis
Nemo minus, quàm tu, Zanius esse potest.

De Torquato Taxo, Bernardi fil.

MAnlius ut torquem fortis tibi Galle, coronā
Hetruscis Taxus uatibus eripuit.

Dialogus, in quo Augustinus Rodengus Brixianus, & Stephanus Maria Eques inducuntur colloquentes.

QVid gnauus hic, ignauus ille? hic rusticus, A.
Vrbanus ille? iustus hic, ille impius? S.
Quòd ille sic à paruo, & hic assueuerit:
Mos atque consuetudo natura altera.

Theodori Amiotti formosi adolescentis apophthegma.

NIcoleo quiddam Theodorus fortè roganti
Dixit, ei tacitè membra decora negans;
Quod petis, ipse libens faciam, dulcissime rerum;
Si peteres, animum uel tibi Græcè darem.

Medici Patauini, quondam pauperis, apophthegma.

CAntanti Medicus nato ditissimus; Olim,
Non caneres, hic si concinuisset, ait.

De Xisto Medice, Veneto, Dominicano, extincto.

TAm citò, dum seruus uatem mortalibus ægris
Defleret, superos eripuisse Deos,

Quid

Quid me, Xistus ait, non tes les? uiuo ego Diuûm
In Xisto æternùm; mortuus ipse iaces:
Ecce micans astrum perueni ad sidera, maior
Inuidia, cras te fata fuisse uolent.

De intercalationis ratione ad Carolum Viceco-
mitem, episcopum Intemeliensem.

RElligio, pater ô Musæ spes unica nostræ,
Me Quarto hæc iußit scribere pauca tuo;
Quæ sapienter ei si tu persuaseris, ingens
Accedet factis gloria & ista suis.

Ad Diomedem Vesonum, Brixianum.

AEnygma extrices Diomede. fistula Adonis
Personuit pulcher; fistula penis erat.

Ad Attilium Albericum, Brixianum,
Augustini fil.

ATtili est iterum uirtus, pietasq; renata
In te, qua fruitur Brixia diues opum.
At tua quòd nequeat Pataui; ut cupit, ora uidere,
En riget amißis Spinula nostra rosis.

Ad Malatestam Martinengum, Comi-
tem illust.

ATilij, per quam noui te, patria felix,
Plus amo, quàm uultus diligit ille tuos,
Plus amo nempe, ſuam quàm deperit ille Dionem,
Quam Veneres omnes ſurripuiſſe ferunt.

Ad Paſqualinum Angelum, illuſtriſsimi Senatus Veneti aurificem electiſs.

QVis non ingeniumq; tuum miretur, & artē?
Sanè huic Hebræum cedere conſtat opus.
Arcula nobilior multò tua: nanque fuerunt
Illi homines, æterni Angelus ipſe DEI.

Ad Andream Boterrum I. C. Mediolanenſem.

VT mare de tota uentoſum flumina terrâ
In ſeſe recipit, nec ſaturatur eis,
Vtq; rapax ignis non unquam alimenta recuſans
Vrit cuncta, faces innumeraſq; cremat;
Sic tibi, quo populus laceratur auare Boterre
Eſt data quò maior copia, plura cupis:
Quòd ieiuna fames cæca iſtud nocte profanum
Intrauit limen ſacrilegaſq; domos,
Teq; alis geminis complexa ſopore ſolutum,
Deuoto afflauit pectus & ora tibi,
Iſtud & in uacuis peragens ieiunia uenis,
Infudit uirus protinus omne ſuum.

Ad eundem.

SAcra fames nitidi solùm te si tenet auri,
Vt narrat recti Bartholomæus amans,
Muneris arbitrium faciat tibi, Druso, Silenus;
Aurum sit quicquid corpore contigeris:
Vt, cùm dente cibum tendes conuellere dulcem,
In bucca fiant lamina fulua dapes;
Sicq; merum rigeat: ære ut saturatus inani,
Dispereasq; fame, dispereasq; siti.

Ad eundem.

ALcytoës sicut latitant per tecta sorores,
Est oculis ueri lux inimica tuis.

Ad eundem.

QVi facis, Antolyco similis, uersuta propago,
Candida de nigris & de candentibus atra,
Qui te cœlitibus præfers, illius ut amens
Et genitrix Chione mendax, in te ultio Diuûm
Curuato cornu uolitantia tela retorquet.

Ad eundem.

SOrdidus ut Verres præturam, cæce Boterre,
Prædæ loco sic tu magistratum accipis.

Ad eundem.

VT fugit obscura lux nocte, libidine non est
Vllus uirtuti sic dominante locus.

Ad eundem.

IPse fores minus infamis, si longa fuisset
Vt muscis Hypanis uita, Boterre, tibi.

Ad eundem.

MOrs tibi iã loqtur? Quid tãta uolumina legũ
Vertis adhuc, futuis? qd bibis, atq; uoras?
Iam sat legisti, & futuisti, satq; bibisti,
Iam satis edisti: tempus abire tibi est.
Viuere quòd rectè nescisti perditus unquam
Istic, tartareas experiere uices.

Ad Scancirsum Tolamium, sacerdotem
Mediolanensem.

SVpposuit quoniam femur lasciua parenti
Nyctimene, lucem Noctua facta fugit;
Pellitur alitibus cunctis: & conscia culpæ
Ingemit, obscuris in tenebrisq; latet.
At, qui pedicas, passus muliebria, quonam
Ibis? quid monstri te uolet esse DEVS?

Ad

Ad eundem, ex amico inimicum.

QVi dulcis fueras, Hypanis, uitiare ueneno,
Ferreq; mortifera turbidus amnis aqua.

Ad Ludouicum Raudensem, Mediolanensem, de I. A. Lulba, Mediolanensi, sacerdote.

DVm latrant catuli, dum ianua fragitur ense,
Fœmina dum mœsto desilit ægra toro,
Ne pereant nummi, aut pyga, aut fama, en pede nudo
Discincta tunica Lulba uolucris abit.

Ad Lulbam eundem.

TIresia uates, est cui, Venus utraque nota,
Maior uoluptas est'ne fœminæ, an maris?

Ad eundem.

VT Lycios homines, plectat te filia Cæi,
In nos quandoquidem nil pudet ista loqui:
Litibus exercens linguam ut maledicere cunctis
Perpetuò sub aqua, Lulba cinæde, queas.

Ad quendam impressorem Mediolanen.

Nescio

NEscio cur ista placeant tibi munera Bacche,
Quæ data per Lulbã cornua fronte geris.
Nam quondam Cippus sic horruit illa, Quiritum
Vt uir in urbe sua spreuerit esse Ducem.

Ad Lulbæ patrem.

QVis Lulba, Eutrepelus dic nũmos obsecro quondã,
Vestimenta tibi quis preciosa dedit?
Vt noua consilia & uelles spem sumere inanem,
Dormire in lucem, scorta decora sequi,
Temnere uirtutes, alienos pascere nummos,
Nobilibus tantùm diuitibusq; comes.
Nunc, olitoris agens tardum mercede caballum,
Das uicij pœnas, stultitiæq; tuæ.

Ad eundem.

SCorpius existi, cancer, minitareq; cauda.
Te mihi quis terra condidit absque manu?

Ad quatuor suprà scriptos improbos

IN uos extulimus uix tandem Gorgonis ora.
En fere in hoc gestu hæsisti de marmore Ethion
Signum, qui petere hæc innoxia membra parabas:
Diriguitq; tibi crudelis dextera Phineũ:
Mansisti toruo uultus mirantis in ore
Marmoreo Astyages, conspecta Gorgone dira:

Et,

Et, queis currebas amens, uestigia tellus
Continuit, saxoq; tibi hæc induruit Amphix.

Ad Ioannem Tonsum, iuris peritiß. Mediolanensem, de Lulba.

Exitio fratrum, Tonse optime, natus ademit
Indicijs reditum mi grauis Ascalaphus.
Quo, nocturna ales, dirum mortalibus omen,
Fœdum bubonem te uolet esse DEVS.

De Io. Baptista Crasso, Mediolanensi, amante.

Qui fuit in duro semper tibi corpore, amanti
Crassus dixit, eris Cynthia dura silex.
In saxum, quòd non suspensum fleuerit Iphin,
Vertit Anaxareten Cypria iusta feram.

Ad Io. Baptistam Fagnanum Mediolanensem, Donati fil.

Pastore in Phrygio sese ut detexit in usu
Aßiduo & factis nobilitatis honos,
Prognato elucet sic regibus hac tibi sorte
Fagnane in tristi mens generosa tamen.

Ad Io. Marcum Fagnanum, de horologio, ad sese ab Io. Baptista patruele Donati filio misso.

CLepsydræ exoleant ueteres: inuenta parentū
Maiorumq; hæc sunt ingeniosa magis:
Qualia Ioannes patruelis nunc tibi mittit,
In quorum paruo corpore quanta latent.
Vt Lunæ Solisq; globos, errantia cœlo
Sideraq;, excellens hoc ego miror opus,
Quod pater ignipotens cæcis fabricauit in antris,
Fingit ubi magno tela trisulca Ioui.

Ad Cæsarem Fagnanum, Donati fil.

SEmihominis Caci ut fraus, & uesana cupido
Dicitur Herculeas surripuisse boues,
Scriptorum uulgus dulcißima præmia, Cæsar,
Ecce nouo doctis eripit aucupio.

Ad Iosephum Alberam Genuensem ἡλιοτρόπιον.

VT semper totā uertit, grauis Albera, amatū
Hæc sese ad Solis nobilis herba iubar,
Sic ipsi ad primam debemus uertere causam
Aßidue ad magnum lumina nostra DEVM.

Ad Antonium Taygetam, Brixianum.

TAygeta, ut coniux Priami, iræ suasibus ista
Mutata in rabidam sunt tibi membra canē.
Nanque loqui cupiens latras: cum murmure missum
Stridenti saxum morsibus insequeris.

Ad Valentinum Piaczonouium, Pollonum, uirum ornatiss. de fida Principis custodia.

QVæ fuit Epiri Proserpina filia regis,
Tres huic germani cura fidelis erant,
Concordes uno famuli de corpore nati;
Nil aliudq́; triceps Cerberus ille fuit.

Meretrix.

OMnia quæ ponto demergit, sæua Carybdis
Est meretrix, homines & bona cūcta uorās.
Crudele hoc fugiat monstrum quicunque beatæ
Ad portum uitæ nauita adire cupit.

De odio & cæde & cædis ultione.

IN nobis odium crudele Megæra uocatur;
Alecto est colubris irrequieta suis:
Perficit

Perficit hæc cædes, illa incitat, hincq; nocentes
Tisiphone tædis ultio cædis agit.

Ad Florium Florum, secretarium illust. Comitis Faleti, Ferrariensis Ducis ad Venetos oratoris, de furum Dea.

QVæ dextra loculos nummûm et fert uincla sinistra,
In nocte & tenebris cæca Lauerna sedet:
Hanc parui & fures magni orant; obsecro mater
Et ditem fieri, fallere desq; mihi.
Vt uidear sanctusq; & iustus, fraudibus usque
Obijcito nubem candida Diua tuam.

De Lucretia Romana, in lapide incisa, Caroliq; Vicecomitis speculo superposita, ad eundem Carolum.

SI mens accedat lapidi, Lucretia non sit,
Quæ summo in speculo tela cruenta gerit?
Quæ Natura dedit lapidi huic uestisq; colorem
Atque comæ, & uultus, quàm tibi, amice, fauet.
In speculo cupiet se si qua uidere, uidebit
Naturæ atque ingens comminus artis opus,
Nymphes prætereà Romanæ exempla uidebit
Tantæ uirtutis, atque pudicitiæ.

Pulicis tumulus, incerti auctoris.

IPse pulex fueram: pungentem læsa Dione
Extinxit. laus est sic potuisse mori.

De duobus geminis, Amalthei.

LVmine Acon dextro, capta est Leonilla sinistro
Et potis est forma uincere uterque Deos.
Blande puer, lumen, quod habes, concede puellæ:
Sic tu cæcus Amor, sic erit illa Venus.

Ad Stephanum Mariam Hugonium, Brixianum, Equitem clariss.

SCribere me uersus promissos? pangere cuiquam,
Quæ placeant doctis, carmina non ualeo.
Vt mihi soluatur tandem nodosa chiragra,
Iam pridem haud Bacchi munera grata bibo.
Manè oluit Flaccus uinum; dicendaq; manè
Ennius accessit potus ad arma pater.
Ipseq; uinosus fuit Albius, atque Catullus,
Et Maro, scripturus Mæonidesq; bibit.
Quæ scribuntur aquæ potoribus hercule possunt
Carmina (crede mihi) uiuere nulla diu.
Ergo durus ubi morbus nos deseret ægros,
Vt cupis, inceptum perficietur opus.

Sed, quia multa malis accedit cura, sodalis,
Obsecro uatis sis memor ipse tui.

Ad *Veturiam Vicecomitem*, Io. *Baptistæ Vicecomitis uxorem, Mediolanensem.*

L*Vx fuit ut claræ matrona* Veturia *Romæ,*
Es *gentis tu flos* Anguigeræq; *decus.*

Ad *Archinti* Mediolanensis *Pædagogum.*

N*On mutat* Fortuna *genus; non rustica proles,*
N*obilitat te auri paruula summa tui:*
Q*uando nec ipse bonus diuesq; est nobilis, ortus*
At *tantùm patribus ditibus atque bonis.*

Ad *eundem, quem* Archintus *belluam appellauerat.*

E*S tibi uir sapiens* Antoni; *sed, mihi crede,*
N*ec sapiens domino, nec uir habere tuo.*

Ad *Erasmum* Rutium *ciuem* Mediolanensem.

V*Entorũ ut flatu, scopulis* Neptunus *& undis*
A*sseruit* Throas, *eripuitq; nece;*
N*os tua sic pietas, duros miserata labores,*
Litus *in optatum, dulcis amice, uehit.*

Ad

Ad quendam Io. Baptistæ Porri ineptum conuiuam.

CVm nobis, sumus ambo Octauius ipseq́;, dixti,
Porrus ait, coniux unus & ipse sumus.

De matrimonio.

VNa caro duo sint: nō diuidat hîc homo, Diuis
Quos placuit stabili iungere connubio.

Ad Tobiam Prandonum, Angelumq́; Marcellinum, sodales.

PRandone armipotēs, fortißime & Angele, uobis
Magnanimi cedant Nysus & Euryalus:
Hi noctu Rutulos simul inuasere, dieq́;
Vos ueteranorum corpora magna uirûm.

Ad Carolum V. Imper. Henricumq́; Gallorum regem pugnantes.

CArole progenies Diuûm, tuq́; alma propago
Henrice, ô belli fulmina magna duo,
Vos quid Erynnis adhuc uexat, Atq́; sinistra,
Alter ut alterius perniciem cupiat?
Hostis ut exultet uestro certamine, & iras
Nutriat? ut ferro cæsus uterq; cadat?

Gratia si uestros animos coniunxerit, orbis
Munera terrarum uictus utrique feret.

Antonius Mocenicus, Leonardi Equitis clariß.
fil. & Spinula.

L*Vminibus'ne potest hominũ* DEVS *ipse uideri?*
Sub nostros sensus non cadit ille puer.
Diuos mortalis uideat, quando hos adipisci
In terris animi nec ratione ualet?
At se contingi patientur lumine nostro,
Cùm uiset Superos ipse refectus homo.

Ad Adrianum Cribellum.

I*Vdice te, multás lites magnasq; secari*
Sobrinus retulit Iulius *ipse mihi.*
Ergo quî *sapiens* Iacobus *cernere* Diuos
Hebræus *potuit, scire* Cribelle *uelim.*
Edocet *ut* Paulus, *superos nam luminis huius*
Haud contenta acies ulla uidere potest.

Ad *illustrißimum & reuerendiß.* D. D. Guido-
nem Ascanium Sfortiam, Cardinalem *ampliß.*
in ea CHRISTI IESV *uerba;* Ego *sum*
panis, qui de cœlo descendi. Ioan.6.

V*T, quo quisq; die explemur bis,* Guido *diserte*
In corpus sese dißipat omne cibus,

Integrat,

Integrat, auget, alit, uires illiq; ministrat,
Ad cuncta ut uegetus munia surgat homo;
Per totos animæ tenuis diffunditur artus
Dijs largitum homini nectar & ambrosia,
Integrat, auget, alit, uires illiq; ministrat,
Vrbis quò ueniat mœnia ad alta Deûm.

Ad illustrißimum & reuerendiß. D. D. Guidonem Ascanium Sfortiam, Cardinalem ampliß. de animi nostri cæcitate.

VNde abeũt, redeũt, donãt resq; augmine fontes,
Flãma petit cœlũ, fluminis unda mare;
Ast æterna tamen mens nostra, huc unde petiuit,
Non curat Superos Guido redire polos.

Ad Iulium Contarenum, societatis caligarum Venetiis principem, extinctum.

SAeua triumphauit de te mors optime Iuli,
Hos dum præcedis, quos superauit Amor.

Ad Carolum Viceccomitem, Senatorem, Mediolanensium, ad Pium IIII Pontif. Max. legatum.

CV'm tibi iam dederint merito non tristia honoris
Accepti tantos fata tenere gradus,
Altius ut uenias, studio, uirtute, labore

Fortunam, ut Lucumo, perge iuuare tuam:
Nam Iouis armigerum capiti diadema parentum
Vidimus in somnis imposuisse tuo.

De Madrucij prudentia, qui titulo uisendi nescio quem, filium Ioannis Lunæ castello expulit, ad Philippum regem.

DVm uigil admiratur aprũ, ueru ab hoste Ta-
Figitur, & portis Annibal ingreditur: (rẽti
At captum inuisens Epicuri de grege porcum
Hostem præfectus depulit arce tuus.

Ad Remigium Nanninum, Florentinum.

DAt, magno ingenio florens Nannine, benigna
Remigio clarũ Pallas tibi ad astra uolare.

De Sole, Phœbo, Apolline.

EXhilarat, lenit, mulcet, Sol, Phœbus, Apollo,
Terram, ægros, musas, radijs, medicamine, (cantu,
Concordans.

iustus	cunctis	benignus;
FIdit homo		prsum, atq;
prauus	nullis	malignus.

Qui

bonus bonos;
Qui est, alios iudicat esse
malus malos.

Ad Io. Baptistam Fagnanum, Donati fil. recurrens.

ASsiduè magis hæc uirtus, put feruida Marci,
Candida deuincit me tua nobilitas.

In sensum contrarium recurrens.

PRogenies bona sunt Monachi non noxia curāt,
Turpia deuitant non malè conueniunt.

Ad Mediolanenses, de Aonio Paleario.

PRæstare Aonium, ciues doctoribus aio
Nostris, qui docti, quiq; fuere boni:
Culti paulatim quoniam facundia & oris,
Vt non nullæ artes expoliuntur adhuc.
Plurima non armis facta est accessio rerum
Multarum, prisci queis caruere duces?
Addita nauigijs non sunt permulta? sonoros
Organici melicos non peperere modo?
Iosquinus præstat cantoribus, atque Finotus
Iosquino; olim alius uincet utrunque tamen:
Sic, quàm maiores antè exuperasse uidemus,
Quos sua secla prius tam coluere patres,

Maiores doctus uicit Palearius omnes ;
Atque hinc forte illo doctior alter erit .

In Pauli Menasiensis Sturni tumulum .

CVltorum Bacchi cineres quæ clauserat, ossa
Diuinæ uolucris nunc capit urna uetus .

Incerti carmen auctoris in sensum contrarium recurrens, de Abele & Caino offerentibus DEO sacra .

A. SAcrum pingue tibi non macrum sacrificabo .
C. Sacrificabo macrum non tibi pingue sacrũ.

Ioannis Antaris, clariss. Equitis Cyprij & Hierosolymitani, Hieronymi amicissimi mei aui, epitaphium, in D. Stephani templo Venetiis .

REgis amor Cypri, Veneti spes chara senatus,
Clarus Eques, ductor magnanimusq; Paphi,
Summus honor patriæ Ioannes Cyprius Antar,
Mortuus ante diem clauditur hoc tumulo .

De Romanis Imperatoribus .

COrneli, & Furi, & Fabij sapientia, robur,
Virtus atque beat se patriamq; suam :

Cæsaris,

Cæsaris, & Crassi, Pompeijq; ambitus, error,
Impietas & se perdidit & patriam.

Ad Oronam fluuium.

VT, quoniam sine thure sacram Latoïdos arã
Vnius misit Græcia diues opum,
Cùm dona offerret Superis, immissus in agrum est
Oeonium sæuò dente timendus aper;
Sic, Orona, tuus quòd tempserit accola uatem,
Ad cuius placidas carmina sistis aquas,
A' Phœbo, quæ hominum miseros depascitur artus,
Immissa est fines dira leæna tuos.

De Ludouico Nouello, Veneto, Vate egregio, ad Parcam.

VT uidi in somnis, per te flos, Parca, Nouellus,
Quàm sua paulatim patria crescat humus:
Omnibus ut terris gratum quem spirat odorem,
Adueniat magni cœrula templa Iouis.

Ad Constantinum Catum, Alexandrinum.

COnstantine tibi nomen constantia fecit,
Cautio cognomen; sis grauis, atque catus.

Ad Gaudentiam Vicentinam, Constantini uxorem.

TV sola hic solo quòd uiuis in igne Pyrausta,
Te Solis currus sidera ad alta uehat.

Ad Fulgentium Catum, eorum fil.

VT tua Dijs facies placeat formosa beatis,
Mens tua cœlesti fulgeat igne puer.

De Pharmacopola, Aegroto, & Medico.

NOn una ut rerum causa est, ita uiuere ciui
Hæc bona languenti causa fuere tria;
Pharmaca Bontempus tulit, atque Bonaccia cepit
Continuò, & dextram Bondius applicuit.

Ad Hieronymum Antarem Leucosiensem,
Cyprium, Equitem clariss.

ESt pietas in te & sapientia, nobilis Antar,
Quæq; tuum uirtus nobilitauit auum:
Ille ut Ioannes Italis est notus & Indis,
Posteritas omnis sic tua facta canet.

Ad Salomonem cognomento Vsque,
Ferrariensem.

Te

TE patris ad Thuscos Salomoni ducere musas:
Usque tuæ laudes, usque manebit honos.

Ad eundem, de ueritate.

OBsequiũ plures peperit mihi semper amicos,
Vera odiũ: placeat hæc tamen, Usq; magis.
Tiresias oculos amisit uera locutus,
Vt scis: pro uero, sit mihi dulce mori.

Ad illustrissimum & reuerendiss. D. D. Guidonem Ascanium Sfortiam, Cardinalem ampliss.

NOn florem ætatis multi potuere cupitum
Tangere, Guido potens, nec reperire cibũ:
Nos uitæ attigimus cœlestis lumina, habemus
Pignora pacis, adhoc regia dona patris.
Nobis assiduis precibus tamen est opus; almus
Nam solùm orantes adiuuat ipse DEVS.
Vt sine cœruleis & aquis atque imbribus anni
Culta suos fœtus mittere terra nequit,
Absque ope diuina munus, uitamq; tueri,
Et pacem ratio non ualet ægra suam.

Ad eundem, adhortans eum ad sacros codices legendos.

SVnt ea, quæ uates quondam lusere beati,
Guido, legenda bonis & relegenda uiris:
Pauperibus prosunt lecta & locupletibus æquè,
Contrà æquè & puero tempta; nocentq; seni.
Huc properent ampli & parui, qui uiuere uitam
Iucundam cupiunt, atque placere DEO.
Omnis mitescit paulatim, (credite) si aurem
Commodet, iratus, mœchus, adulter, inops.
Inuidia pectus si nobis æstuat ægrum,
Feruet auaritia, laudis amore tumet,
Sunt uerba & uoces, Diuûmq; oracula in illis,
Quæ sanent dulci uulnera nostra sono.
Hæc curare igitur properemus, dum uacat, omnes:
Aetas nam celeri labitur ista pede:
Viuere nequando frustra cupiamus inertes,
Præteritos uotis & reuocare dies.

Ad S. Marium Hugonium eq. cl. de Scancirso Tolamio Mediolanensi sacerdote.

CV'm male sentiret Diuûm de numine, frustra
Sæpe Scancirso diximus ista Mari;
Deuia quid sequeris cæco rege? en uia uitæ.
Cæca tibi (redeas) nox iter eripuit.
Si, Scancirse, pedem referens, munita serena
Doctrina hæc teneas edita templa Deûm;
Hinc alios paßim felix errareq;, uitæ
Palantisq; uiam quærere despicies,
Atque ad opes summas emerges hinc, ubi letum
Seiunctusq;

Seiunctusq; dolor corpore nullus adest,
Mens ubi iucundo fruitur sensuq; beata
Et uita, unde pauor exulat atque metus.
Sin contrà in tenebris degesq;, ducemq; sequeris,
Cunctis qui noctem prædicat esse diem,
Qualis homo insanus, mentem pressusq; furore,
Præ se dementes qui putat esse uiros,
Errantes alios poteris quî cernere, uel te?
Quî culpam fugies, interitumq; miser?
Ne dicam, ut caueas, aliquid ne fortè negoci
Incutiant leges, istaq; facta tibi.
Quicquid habes, tutis deponas auribus eius,
Qui prodesse tibi, ferreq; posit opem.
Fœcundos calices fugias, Lulbamq; cinædum
Deuites, pro quo fabula es atque iocus.
Ad uitam, ad mores patrios, ad teq;, uiamq;
In rectam, ad Solis lumen amice redi;
Sis gregis ut consors sapientum, à patreq; iusto
Multa tibi ut merces defluat, unde potest.

Ad Ioannem Mutum, Deos negantem, *quòd humanis oculis non uideantur.*

QVid furor insipiens homo te, geniusq; sinister
Sollicitat, nullos esse putare Deos?
Quid cœlum uexas? quid summa euertis ab imo
Sermone? aut omni quid ratione cares?
Mundi naturam qui hominum uoluere parare
Causa, illos demens quid precor esse negas?

Accipe

Accipe quod placeat, ueri quò nescius ex hoc
Conijcias ut homo, cernere quæ nequeas.
Si quæ sit natura animæ non percipis amens,
Quæ facta Diuis insinuata tibi est,
Factores animæ poteris quî cernere Diuos?
Pictura auctorem non uidet ulla suum.

Ad DEVM O. M.

Ista quid insani tantùm mortalia amamus,
Mortales nati conditione pater?
Quos æterna uocas ad gaudia, quosq; benignè
Castigas dictis, aßidueq; mones.
Si uerum Paulus crepat ipse, inscitia ueri
Nos agit insanos, stultitia atque mala.
Cuncta retexuntur gladio hæc penetrata repente
Pectora, quæ dederis perpetua esse breui:
Ad nihilum penitus tum pectora nostra redibunt
Non unquam, fuerit cùm reparatus homo,
Siue tui scribas gregis, igni seu dare nigro
Iudex iratus hunc sine fine uelis.

Ad Iosephum Moletium, Siculum, Venetijs degentem.

Sicelides Musæ, Moleti candide, cernunt
Haud montẽ lætum, spernis quia uiuere secũ.

Ad

Ad Diomedem Vrsonum à meretrice mendaci deceptum.

QVòd non æquales dilexti insane, fefellit
Vrsum te credentem insidiosa lupa.
Quò, fere deformis, tibi duco hoc esse cauendum,
Ne fias omni fabula quadrupedi.

De Vincentij Bondij Mantuani, medici excell. responso, ad Alphonsi Auali Vasti domini uxorem iocantem.

HAec sibi dicenti matronæ Bondius, & me
Tu Bondi noctu uisere pergis? ait;
Te luci interuiso, bonam lucem ut tibi, noctu
At uenio, noctem quò precer ipse bonam.

Ad Madrucium, Mediolanenses in Gallorum copias armantem.

GRæcia nunc iterũ quid dißidet? ille Philippũ,
Romanũ hic, alij poscunt neutrumq;: timẽdũ
Est, Madruci, igitur, ne in nos armaueris hostẽ.

Ad Rainutium Gambaram, Brixianum, nobilißimum Comitem, de illustrißimo & reuerendißimo D. D. Ioanne Francisco fratre suo Cardinali amplißimo.

Hic

HIc homines inter Francisci & feruida uirtus
Sidere in ardenti purpureoq; micat.
Quæ cœlum exornant insignia clara tuorum
Luminibus cunctis præposuere DEI.
Hinc stella exoriens paulatim candida Olympi
Ad summum ueniet (ne uereare) locum.

Io. Baptista Castilionus I. C. Mediolanensis ad P. F. Spinulam.

VRbe procul cuperē dulces in monte recessus,
Et, ueluti suades, facta referre ducum,
Si modò pone sequi possem uestigia uatis
Eius, quem nobis patria Sulmo dedit;
Quem malè tu pungis non æquus Spinula iudex.
Nam licet abstruso durius ore sonet,
Attamen est eius doctum & sublime poëma;
Nec sua facundo uerba lepore carent.
At, quoniam possent oneri succumbere uires,
Nunc mihi materies Cynthia dulcis erit.

Idem ad eundem.

SI precibus flecti posset, si Cynthia fletu,
Iam pridem posito blanda rigore foret.
Marmora proscindunt pluuiæ, sed durior hæc est
Marmore: nam solido cor adamante riget.

Idem

Idem ad eundem.

DVm procul à Musis salebrosa parua uagamur,
Nos reuocant citharæ fila sonora tuæ
Tam dulci cantu, dulci modulamine uocis,
Vt nihil his Phœbi dulcius ora sonent.
Parce tamen, si non Cyrrhæa reuertor ad antra,
Cynthia, ne redeam, sub sua iura tenet.
Tu bibe Castalium fontem: iuuenumq; caterua
Ad iuga Parnaßi, te duce, carpat iter.

Ad Io. Baptistam Castilionum P. F. Spinula.

DEscendens equitis pedes in certamẽ iniquum,
Arma aliena gerens, insipienter agit:
Sic ego si pugnem lugubri carmine tecum,
Quæ manibus non sunt tela secunda meis.
Te Venus, ut rabies armat nos: flebilis ergo
Sit tuus iste modus, noster Iambus erit.

De Catone Turriano, sene amante.

ALbum à stirpe pilũ quid tendit uellere, mortẽ
Nescius ultricem post caput esse Cato?
Finitis animum quid reddit amoribus, inq; hunc
Quid Cypron linquens tota Erycina ruit?
Quid nitor, eximia & Lalages quid forma, uideri
Et uultus nimium lubricus urit eum?

Frondem

Frondem hyemi comiti quæ ætas iam dedicet Hebro,
Et uiridi myrto gaudeat atque hedera?
Et uinclis sæuæ quid subdit colla Diones?
Quid stare hunc diuæ non pudet ante fores?
Detinet ancillam quid in æde? & uoce trementi
Componit stultas quid sibi blanditias?
Quid cantat, manibus canos fingitq; capillos?
Et dominæ duras quid iacet ante fores?
Cùm fletu & lacrimis uigilat quid nocte serena?
Tot quid dat clausis oscula liminibus?
Quid flet? quid toties inquit, cur ianua uirgo,
Cur tua crudelis ianua limen habet?
Quòd miseros olim iuuenùm rideret amores,
Quòd sibi plus æquo libera uerba forent,
Vult Cypriæ puer, ut fiat nunc fabula, & illum
Circunstet iuuenis, despuat inq; sinum.


Ad Io. Baptistam Crassum, Mediolanensem.

VT Petrus excellens à rege *uocatus* Ibero
Nonnunquam aßimulat cõdoluisse femur,
Sic ego, scribentem cùm me tu Crasse *uocares*
Inuitum, ad causas ingeniosus eram.

Epigrammaton libri tertij finis.

P. Francisci Spinulæ MEDIOLANENSIS ELEGORVM, de uariis argumentis, Libri quatuor.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS, Ex officina stellæ Iordani Ziletti.
M D L X I I I.

Ioannis Marci Fagnani, ciuis nobilißimi Mediolanensis, de Spinulæ elegis, distichon.

Callimachi nemus in sacrum, Coiq; Philetæ:
Te Publi in sedes Phœbus inire sinit.



ILLVSTRISSIMO ET Reuerendisſimo D. D. Guidoni Aſcanio Sfortiæ, Cardinali amplisſimo, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ Camerario S. D.

P. Franciſcus Spinula Mediolanenſis.



Vanquam ea parentis utriuſq; ſtirpe es profectus, ut neque ſcriptis, neque monumentis tibi ſit opus ad illuſtrandam nobilitatem tuam, tamen cùm olim Franciſci Sfortiæ, abaui tui fratris, Mediolanenſiũ Ducis egregia facta, à Iouio conſcripta, legerem, uerſibus æternum tui

ſplendoris præconium mandare cupiebam. Sed ea re à propoſito deterrebar, quòd tibi in altisſimo dignitatis gradu collocato nulla me adhuc fama notum feciſſet. Pio tamen noſtrati Pontificatum ineunte, cùm elegiam tibi quandam compoſuiſſem, ipſius iſtuc mittendæ dari aliquando mihi cupiebam occaſionem. Nunc uerò cùm mihi & ſcriptum & nunciatum fuerit, te & poëmata mea uehementer probaſſe, & de me multa diligenter quæſiſſe, eandem elegiam, quæ in ſecundi libri initio eſt ſcripta, Aurelio Portulacæ noſtro ad te dedi. Cæterum, ne tuam ad Amaltheam, omnium aliarum pulcherrimam, quam omnium linguarum uoluminibus or-

nare non omittis, quasi incomitata elegia ueniret, quæ & præcedant, & consequantur huic uiæ socias comitesq; multas adiunximus. Quoniam autem excelso & illustri loco tuæ nobilitatis uirtutisq; laus in omnium penè mortalium conspectu est sita, nihil hîc ego de atauo tuo materno Guidone Sanctæfloræ Comite clarissimo, nihil de maiorum tuorum consanguineo Ascanio Sfortia illo Cardinali integerrimo, quem Xystus Pontif. Max. tanti semper fecit, nihil de Bosio Sfortia abauo tuo illo fortissimo, qui ad Spoletium pugnans in prælio fortiter cecidit, nihil deniq; de alijs maioribus tuis Ducibus & Principibus inuictissimis, sed de his car-

minibus ſolummodo perpauca ſcribam. Quæ igitur his quatuor libris continentur, à me uarijs fuere conſcripta temporibus. Primum enim ex maiori parte Mediolani, ſecundum penè totum Brixiæ, tertium ibidem & Veronæ, quartum denique Pataui & Venetiis compoſui. Neque uerò hoc in genere Marius Molſa, quomodo nonnullis placet, ita aliorum ſtudia reſtinxit, ut nemo eum ipſum æquare poſſe uideatur. Nam hominis elegantia uel amplitudo quædam complureis à ſcribendo deterruit. Etenim uenuſtatem & candorem A. Tibulli, qui antiquos omneis hoc ipſo carminis genere ſuperauit, adeò exprimit imi-

tando, ut imaginem illius ueram in eodem Molſa cernamus.
Quamobrem illud breui ſic habeto, me cum uiro doctiſſimo contentione imitandi uſque adeò decertaſſe, ut ego ſtylo non minus, quàm olim Apelles, uti uiuas hominum facies imitaretur, penicillo, hac in re una elaborauerim. Quantum autem aſſiduitate profecerim, aliorum ſit iudicium. Me certè ſtuduiſſe non paululum proficere, nullus non ignorat. De cætero tu quando non minus, quàm olim auus tuus Pontif. Max. es bonarum literarum & fautor & amplificator, ita uelim hoc tibi ſit opus acceptum, ut eidem auo tuo grata & Bembi & Flaminii carmina fuerunt. ſicq;


in animum inducas, nihil esse mihi optabilius, quàm à te hoc officio meo gratiam inire. Vale, Venetiis Idib. Decemb.

CIↃ IↃ LXII.

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS ELEGORVM,

de uariis argumentis,

Liber primus.



Ad sanctißimum D. N. PIVM IIII, *Medicem, Mediolanensem, Pontificem Maximum,*

Elegia I.



PTIME *Dux hominum,* CHRISTI
supreme sacerdos,
Quo sine cœlestes non datur ire uias,
Vt Regum celebrat multorũ Fama triũphos,
Sidera uirtutem tollit ad alta tuam:
Hi quòd prætulerint, pugnacis more Quirini,
Finitimos armis sollicitare Duces,
Tu quòd ab horribili gentem, pius ut Numa, bello
Romanam inuitas ad sacra pura Deûm.

Qua

Qua pietate nihil terrarum charius orbi,
Nilq; potest magno gratius esse Ioui.
Hinc Pater omnipotens aderit tibi Quarte uocatus,
Et cinget uiridi Gloria fronde caput.
Sint Patres alij celebres uictricibus armis,
Pontificis PIETAS clara trophæa PII.
Nam properas lapsi generis sarcire ruinas,
Aegroto & MEDICAM ferre benignus opem:
Vt sit [illegible]ta salusq; gregi comes alma gementi,
Vt uitium præceps in Phlegetonta ruat.
Ad pacem hortaris quæ regna superba uerendum
Temnunt Romani Principis imperium.
Nanque tuo iussu Patres coiere Tridentum,
Venit doctorum candida turba uirûm:
Vt, qui uirtutis specie haud unam occupat urbem,
Agnoscat quæ sit relligiosa fides;
Dispersæ ut pecudes redeant, sit Pastor & unus,
Grex unus, PIETAS unaq;, & una fides.
Cuius ego optarim laudes intexere chartis;
Impetus ast aliò me uocat ille sacer.
Dicere fert animus, quæ Portulaca sodalis
Idibus ad fratrem scripsit ab Vrbe suum.
Grata fuit cunctis ipsius littera, magnæ
Gaudia complectens Vrbis & Insubrium.
Gaudent Insubres, studijs te ornare Quirites,
Romaq; picturis pulchrior ipsa tuis.
Nam quis luminibus magni non perlegit istic
Clara Pij in Xysto principis acta domus?
Acta domus Quarti ijs æquissima porticus offert,

Qui

Qui Patrum subeunt regia tecta Patris,
Cui triplicem Petri gemmis auroq; coronam
Consensusq; hominum, cœlicolumq; dedit.
Nanque loci patula si quis spacietur in umbra,
Admiratur opus, artificisq; manum,
Admiratur item multorum unaq; labores
Pictorum illustres, & tua gesta simul:
Nam graui ab exilio Pacemq; & Copiæ in Vrbem,
Inq; Orbem cornu te reuocare uidet;
Te uidet ancipites hominum cognoscere causas,
Vt fas, ut leges Iustitiaq; docent;
Te uidet, eiectis fallacibus Vrbe, cauere
Certaq; pauperibus constituisse loca;
Te uidet exornasse uijs & ciuibus Vrbem,
Et fama æternis restituisse Deis;
Te uidet inde uiam consternere, pandere portam,
Romulidæ dici quas uoluere PIAS;
Te uidet, immanis fuerant ubi tecta tyranni,
Hic MARIAE templum ponere marmoreum;
Te uidet in murum dulces inducere lymphas,
Et munire arcem, Flaminiamq; uiam;
Te uidet augere Anconamq; & portubus urbem
Formosam, quæ antiquum Hostia nomen habet,
Et Centumcellas includere mœnibus altas,
Saluæ ubi non fuerant in statione rates,
Vt tutam à sæuis prædonum incursibus oram
Tyrrheni præstes Adriaciq; maris;
Te uidet Aureli ignotam & penè antè sepultam
Instaurasse, loci commoditate, uiam;

Te uidet Aonio deducere uertice Musas
Ad Tyberim, & sanctis inuigilare choris,
Atque Impressorum primos inquirere in orbe,
Vt Roma inuentis floreat arte nouis;
Te uidet errantes populos ad auita uocare
Dogmata, Concilium totius orbis habens;
Te uidet intereà sanctos renouare penates.
Ornare hunc sumptu regificoq; locum;
Perlegit & paßim numerosos denique uersus,
Subscripsit doctus quos Pater Amulius:
Qui sapiens Latijs paruo pòst tempore in oris
Quæ Ioue tu facies multa probante canet.
Se Pater aligero uolitans per inania curru
Præbebit uotis & Petrus aure tuis.
Quò licet hostiles ausus te euertere tendant,
Illorum tumidas ne uereare minas.
Tempus erit, cùm tu uictis à Regibus ustæ
Ad Libyæ fines rapta trophæa feras,
Ad te cùm ueniet supplex, nunc Celta rebellis,
Ac pedibus sacris oscula pressa dabit.
Perge parens igitur magnis insistere rebus,
Aureà perge tuo condere secla gregi.
Pegasides doctæ uario te carmine dicunt
Rex hominum, quo nil maius in orbe uident.
Semper honos, laudesq; tuæ, PIETASq; *manebunt,*
Dum certa annus aget lucida signa uice,
Dum Sol æthereà lustrabit lampade terras,
In mare dum rapidis Albula rumpet aquis,
Dum

Dum sacra clauigeros magni teget infula Petri,
Dumq; colet Patres inclyta Roma PIOS.

Ad sanctißimum eundem D. N. Elegia II.

SFortia dum fratri summum promittere honorē,
Quarte, per Insubres diceret astra tuos,
Mantua dumq; sibi hæc deberi munera ferret,
Conclaui magno dißidiumq; foret,
Nocte coorta tuis stabulis incendia, Romæ
Te fore Pontificem præcinuere PIVM.
Nanque perreranti subtristis manè sacerdos
Fortè mihi Clemens obuius urbe fuit:
Si iracunda domos tetigissent fulmina, dixi,
Aduersum, infelix auguriumq; foret;
At flammæ, incauto licet excidat ignis, obortæ
Portendunt domino prospera cuncta domus
Qui ueniens subitò stabula ad fumantia mecum,
Seruitio iratis rettulit ista tuis.
Ast ego mox retuli, Vestrum succedere Patrem
Cernetis Paulo, dixit ut antè Bonus.
Atque utinam totas Vulcanus lamberet ædes,
Et iam gauderet fascibus urbe Pater:
Vrbe Pater magnis Romana fascibus, alto
Gaudebit solio, clauibus æthereis.
Numine me Diuo afflatum prius ista locutum,
Ambrosius testes Aoniusq; graues,
Anguiger & testis mihi Carolus, & tuus idem
Clemens, dicta nisi hæc arroget ille sibi,

Et Petrus & Paulus testes mihi, & inclytus Heros,
Cuius nempe oculis omnia nostra patent.
Quare, si precibus Pietas tua flectitur ullis,
Quæ peto magne Pater, ne neget illa mihi:
Da legere Europæ lacrimanti mystica uatis
Interdicta precor carmina Flaminij,
Incepta hic quæ nos absoluimus auspice Musa
Atque legenda pijs, & releganda uiris.
Et, quem Phœbus amat, cui sunt ante omnia Musæ
Dulces, ô tandem sis memor ipse mei.
Vt molem Adriacis Venetam mirarer in undis,
Me scito Insubres deseruisse focos.
At nimis hic locus est celebris. non dicere Phœbum,
Hîc ualeo & Nymphas, cornipedesq; Deos.
Eripe me populo hoc, patulaq; sub arbore siste,
Martia quà flauus profluit arua Tybris:
Fratris ut egregij Ducis istic inclyta facta,
Patrum uirtutes, & tua gesta canam.

Ad Carolum Vicecomitem, Equitem clariss. Senatorem integerrimum, Insubrium ad Philippum Regem legatum, qui deinde Episcopus Intemeliensis creatus fuit,
Elegia III.

ASpicis ut pelago properent se tingere Soles;
Annuus ut fugiens, Anguiger, orbis eat.
Sæpe mihi dixi; Mortalia facta peribunt.
Sæpe mihi dico; Puluis, & umbra sumus;

Puluis & umbra sumus: mox euanescimus omnes:
Principium hæc donant augmine cuncta suum.
Qualis bulla, nouum cœlo cùm decidit imber,
Verbani lymphas guttaq; rara ferit;
Humani generis species & gloria formæ
Continuò apparet, continuoq; perit.
Quid tituli, quid opes, auri quid multa talenta
Prosunt, cum uitæ sit breuis iste modus?
Vt miser inuentis opibus se nocte Marino
Obscura in somnis ditior esse putat,
Hinc experrectus paupertatem illico turpem
Cernit adhuc humiles secum habitare casas,
Hîc Druso felix multo sic ære superbus,
Qui sese magnum credidit esse DEVM,
Se sentit miserum adripitur cùm tartara nigra,
Flent ubi dis unà Crassus & Irus egens.
Ergo insanus homo quid amore senescis habendi?
Cùm res non desit, uita sed ipsa tibi?
Quæ leuitas aliò uel Erynnis abire meorum
Vmbrosis suadet collibus Insubrium?
Ocia quæ curæ Musarum dulcia, quæ spes
Sollicitat studium Carole magne tuum?
Aeuo quid uolucri iacularis multa? quid auges
Curas, atque dies contrahis ipse tuos?
Quid'ue paras iterum duros inuisere Iberos?
Quà steriles ardens Phœbus adurit agros?
Ecce ostrum cupiens Falcutius, ecce Taberna
Ille obijt, poterat cui nihil esse satis:
Atque agit ecce animam Confalonerius ægram;

Istis & Crassus se parat ire comes:
Sorte suûm gaudens citò non Guido ipse peribit,
Qui nimia cupidus feruet auaritia?
Cras in perpetuam non claudet lumina noctem
Rauerta Antestes, ambitione tumens?
Fortes Insubrium reges, atauosq;, patresq;
Ante duos annos uiset uterque suos.
Non auro & titulis est exorabile fatum;
Omnes in Stygias nos uocat Orcus aquas.
Attamen haud obijt, sed auem mutatus in albam
Flaccus ad Eridanum carmina docta canit:
Haud obiit Cæsar, Lucretius, atque Catullus,
Albius, & Cicero, Virgiliusq; Maro;
Virtus quos ardens euexit ad æthera, fati
Quæ sola extrema conditione uacat.
Quod superest igitur uitæ ne huc obsecro & illuc,
Vt facis, absumas dulcis amice uolans:
Sed, famam ut docto poßis extendere uersu,
Aßiduè Aonijs inuigilato choris:
Aeternùm ut uiuas, te ut secula cuncta loquantur,
Vt tibi quæsitum sit sine morte decus.

Ad Carolum Vicecomitem, cùm ab Hispania rediisset, Elegia IIII.

SOmnia nos adigunt istorum, Carole, noctu,
Oppida dum latè cunctaq; rura silent.
Cùm uigilo, fessos & cùm sopor occupat artus,
Virtutis nequeo non memor esse tuæ.

Seu

Seu natale solum, cupimus quod uisere per te,
Seu teneat uatem Brixia amica tuum,
Hoc nunquam hercle tui labentur pectore uultus,
Quem solum, atque Deos nostra Thalia canit.
Vsque tuas laudes Francisci pagina dicet,
Siue erimus, seu nos fata fuisse uelint.
Carminibus (ueri si quid mens augurat ipsa)
Vt Tonsi, & nostris uita perennis erit.
Vix aliquot potui sine te si uiuere Soles,
A' te est cùm longis Roma petita uijs,
Egregius patriæ legatus nomine patri
Vt commendares commoda nostra Pio,
Quid modo? cùm nec te uideam, nec sit mihi adire
Spes istuc, regio quem peregrina tenet:
Cui succurrit iter dulce, & tua disticha, & agri,
Atque Albizati mœnia prisca tui;
Vnde mihi colles curuatos undique in arcum
Monstrasti, & pratum, gramineosq; toros,
Quà uirides herbas placidißimus irrigat Arnus,
De quo tu dixti talia præteriens;
Qui fuit obscurus multa Arnus secla, poëtæ
Aduentu Publi lympha celebris erit.
Quæ Messala comes ferro descripsit in orni
Cortice Syluano carmina grata DEO.
Succurrunt Diuûm cœnæ, atque ea prandia, agrestis
Quæ dona apportans exhilarauit anus.
Succurrunt uirides, quas ipse ex tempore lauros
Hisce salutasti uersibus aduenieus;
Si complexa mei fueris pia tempora uatis,

Grata magè & nobis laurea dulcis eris.
Verùm, quem cupiunt alij, contemnit ubique,
Vt piper omnis Arabs, gens sua quenque bonum.
Non'ne suos habuit pro nilo Roma Tibullos?
Non uatem amandas, Arne superbe, tuum?
Non'ne suos hodie temnitq; Placentia alumnos,
Spernit & Aonium terra Latina suum?
Admirari igitur mecum Heros desine, nutrix
Si curet tellus carmina nostra nihil.
Me fex Insubrium uexabat in urbe misellum
Ista olim, quem nunc gens aliena colit.
Post nigros patriæ Soles, hoc iam mihi fulsit
Orbe duos menses usque serena dies.
Non hic exululat notus feritate Lycaon,
Qui fauces in me uerterat & rabiem.
Non hic Papilio uolitans olus inficit hortis
Sordidus, immundis editus à tineis.
Non hic Alcytoës latitant per tecta sorores,
Quæ mea lædebant lumina & Anguigeri.
Gignitur humanis non hic coluberq; medullis,
Nec serpens, Tonso sic inimica bono.
Pascentes non hic Andreas durus inermes
Non auidus laniat Bartholomæus oues.
Hic pax arua colit, pietas, concordia, Apollo,
Calliopea, rubens Bacchus, & alma Ceres.
Nos ubi Aristoclis legimus præcepta diserti,
Visimus Adriacos pieridumq; choros.
Nos ubi uir prudens Hieronymus Hugo tuetur,
Hugo, quem terris Cypria Marsq; dedit.

Olim

Olim germani Gonzaga atque Hugo fuerunt;
Qui decorant gentes nobilitate duas.
Hippolytæ est natus genitor Ferrandus ab illo,
Patria quo tellus auspice tuta fuit;
At ciuilis ab hoc est editus iste peritus
Iuris, qui nobis ocia læta facit.
Conciliauit enim ciues mihi protinus omnes,
Vt sine me posthac uiuere posse negent.
Quò, si terra meæ requies erit ista senectæ,
Felix uiue mei, Carole, uiue memor:
Quem mea deficiet nunquam memorare camœna,
Dum cœlum ornabit nobile stemma tuum,
Innumera æternus pascet dum lumina Olympus,
Dum partus & alet Dædala terra suos.
Nulla mihi statuent finem te fata canendi,
Membra quoad dulcis spiritus ista reget.
Quin etiam manes cùm uisam, facta parentum
Dicam ad Threïcias & tua gesta fides:
Vt tenues noscant teipsum sine corpore uitæ,
Patrum & uirtutes atque trophæa tuûm.
Illinc pòst alios iterum mortalis ad artus
Seu serò ueniam, tempore siue breui,
Me seu uita manet uariam mutata figuram,
Seu cygnum aut potius me uolet esse gruem,
Seu me finget equum campos percurrere, siue
Tardi sim pecoris gloria taurus ego,
Quæ me cunque dies mortalem acceperit orbe
Subtexam his chartis carmina cœpta tibi.

De Nicolao Sfondrato Episcopo, Mediolano Cremonam in sacerdotij possessionem eunte, Elegia V.

HAec hodie uobis sacra sit lux candida ciues,
Hac opus efficiat nulla taberna suum:
Non ullum cupidus debentem creditor angat;
Gaudeat Vrbanus, gaudeat agricola.
Hæc & luce bibat Corydon, & saltet arator,
Hac & luce boues & requiescat humus.
Vos domini, famuliq; odiosis parcite uerbis;
Parcite causidici litibus, atque notis;
Parcite consulti rabidos audire clientes;
Iura det haud Prætor ciuibus ulla suis.
Curia non resonet clamoribus, interruptum
Nunc opus & toto pendeat omne foro.
Nunc casti dicant pueri, intactæq; puellæ
Carmina, non Phœbo, sed tibi magne Pater,
Dant arcana suum cupido cui uisere lætum
Fata gregem, sacra & templa subire Deûm.
En mihi, qui sacro Musas à fonte uocabam
Incassum antè, modò ut carmina cuncta fluunt.
En canit ut uolucris per syluas garrula; biantes
En minus ut solito Syrius urit agros;
En calor ut media æstiuus se luce refringit,
Feruore insanis dum mare sæuit aquis;
Dum Zephyri molles aspirant, aspice dulci
Aura frondiferum ridet ut omne nemus:
Diluuiem cultis magnam & minuatus agellis,

Eridanus

Eridanus placida labitur amnis aqua.
Purpureæ uestis dat eunti prouida fati
Egregio alma parens omina certa uiro:
Ostrum promittunt illi, triplicemq; coronam
Horæ natalis sidera amica poli,
Numine qui plenus uolat hinc aliò, omnis ab hoste
Quo forti populus præside tutus erit.
Pontifici occurrant plausu iuuenesq;, senesq;,
Pontificem accipiat læta Cremona suum;
Læta Cremona suum uatem, Patrisq; ministrum
Aeterni accipiat: carmina cantet ei;
Quem cecinit Phœbus, Musæ & cecinere calendis,
Vincentem ut cunctos relligione Patres,
Vincentem ut cunctos deducto carmine uates,
Qui fontem Aonium Castaliamq; bibunt.
Desinite ô tandem lugubres arma cruenta
Atque Cremonenses longa tributa queri:
Militia hostiles campos & squallor inibit,
Abducto ut cesset uomere pinguis humus.
Scilicet è magna uobis hac nascitur urbe
Certa salus, istuc adueniente Patre:
Nam quocunque caput præfert, pax ponè subitq;
Et sequitur pietas, gaudia, Vita, quies;
Diffugiunt cædes, furiæ, & Bellona flagello
Inuiso; cedit gens inimica locum.
It comes huic frater gentis spes altera nostræ,
Præ cunctis sidus quod iuuenile micat.
Qualis ab æquoreis exardet Lucifer undis,
Aequales inter emicat ipse Baro.

Vndique gens ueniat, uatis studiosa uidendi,
Quem Phœbus, Nymphæ, Thespiadesq; colunt:
Perq; uias passim Armenios incendat honores,
Sternat odoriferis florida serta rosis.
Fana alacrem festa iuuenes & fronde per urbem
Velent: & ramos sedula turba ferat:
Inducatq; uijs umbras, quà tendit ad ædes
Diuorum Antistes, lux, patriæq; decus;
Efferat & tabulas penetralibus illico pictas,
Ridentis figat parietibusq; uiæ;
Spargat humi lymphas & candida lilia, olentes
Atque herbas; resonent tympana pulsa manu.
Ludatur fidibus, digiti cum uoce loquantur;
Moxq; cauas inflet Musica docta tubas;
Dum nobis epulas, & uina liquentia mensam
Exhilarant, festa combibimusq; die.
Heus, Bacchi referas puer (audin'?) munera in orbē,
Et sonet absentem densa corona patrem;
Nicoleos magna celeber uirtute, fideq;,
Aeterna ô nostræ gloria gentis ades,
Huc ades, & nobis aspira, dum tua gesta
Callimachi numero dicimus, atque patris.
Dij modo conseruent generatum uate poetam,
Nec teneat cursus alta Cremona suos:
Vt redeat mœstos cum germano impiger ad nos;
Viuere nam sine eo curia nostra nequit.

Ad

Ad ciuitatem Brixianam, Elegia VI.

O' Nimium fausta & felix, tua si bona noris,
Vrbs ingens, Veneto tuta sub imperio.
Non lupus est pastor tibi, sed lectißimus heros;
Non tibi corpus iners, non sine luce caput.
A' domino nomen deducit, qui tibi lux est,
Et te qui domini pascit ouile sui.
Te cœli beat æterni indulgentia: egestas
Turpis, & ægra fames exulat orbe tuo,
Exulat & Verris rabies, & dira tyrannis
Pleminij regis, exulat impietas.
Non est uenalis tibi iurisdictio; non est
Iudex, qui exhaurit rura domosq; tuas;
Non est sacrilegus princeps, qui temnere Diuos
Audeat, & castos conscelerare toros.
Pauperiem Prætor miseram non despicit, atque
Non magnis opibus diuitijsq; fauet.
Non te dura phalanx urget, non Celta superbus,
Non ædesq; tuas hostis Iberus habet.
Nemo tuas acies lædit; non pila per urbem,
Externas gentes nec uolitare uides.
Non te crudeles expilant barbari; inopsq;
Non Vrbem, macies non tua rura colit.
Non generas homines nequam; te turba frequentat
Doctorum, & decorat copia nobilium.
Et natura parens rerum tibi consulit; ornant

Te Dij certatim muneribusq; suis.
Dat sobolem castam, dat gaudia Iuppiter almus,
Dat segetes lætas, dat bona uina tibi.
Hic quid opes memorē, quid sacra & templa Deorū,
Virtutesq; tuas, ingeniumq; bonum?
Tu contenta quidem gens uiuere, ut Attica, paruo,
Natale, haud aliud uis habitare Solum,
Et mutat terras alio dum Sole calentes,
Esse potensq; cupit Thuscia, Gallus, Iber.
Candida pax messes flauas terit, hicq; labore
Gaudet; pax hilaris pinguia musta bibit.
Nam non arua Ceres, cultosq; relinquit Iacchus
Agros, non umbras Cynthius ipse tuas.
Ordea cui sulco mandasti grandia, auenæ
Et lolium infelix non dominantur ei.
Horridus haud spinus surgit Paliurus acutis
Vel pro Narcisso, purpureaue rosa.
Diffugit inuiso tristis Bellona flagello,
Diffugit & telis gens inimica suis.
Et nemora & syluæ uoces ad sidera iactant,
Dum cantat Venetum rustica turba Ducem:
Sunt Mopso, Lycidæ, Damoni, suntq; decoræ
Albanæ à superis ocia facta tuæ;
Lucia, formosa Venere & formosior illa,
Quam numeris cithara dicit Hetrusca nouis:
Quæ resonare docet syluas te Brixia; cantu
Quæ Faunos, rapidas & remoratur aquas,
Dum stupet Aemylius, Bornatusq;, Hugoq;, cuius
Picta

Picta est ante oculos dulcis imago meos,
Ingenium & cuius uirtutem, & gesta parentum
Et dicet laudes pagina nostra suas:
Nos hodie cuius læti uidere penates,
Qui nobis retulit cuncta patêre sua;
Nosq; peritorum in iuris collegia duxit,
Italiæ populus qualia nullus habet,
Conclamat leges ubi Consulto esse tenendas
Parietibus pictis undique Iustitia:
Vrbs, ego te miror; tuaq; gaudeo gaudia: gens est
In Latio, quàm tu, nulla beata magis.
Hoc tua gauderent quò statu secula, magni
Cœlicolæ patribus consuluere tuis,
Hispani paßim & Galli cùm dira cupido
Regnandi totam uerteret Ausoniam.
Vos gaudete igitur ciues, uos æquora ponti
Et terræ, Veneti quas ditione tenent:
Vos nec Mauortis terrent arma impia, uobis
Nec dulces somnos claßica pulsa fugant;
Vos Patrum uirtus tutatur magna potentum,
Queis placet & bonitas & pia gesta Numæ.
O' mihi uobiscum nasci mea fata dedissent,
Aut finem ad uitæ dent habitare modò.
Vt dicam & paces Venetorum, & bella potentum,
Et libertatem Brixia læta tuam.
Cantando longos Brunori condere Soles
Nos mirarentur sordida rura duos.
Seu canere Alboinas malles me carmina ad arces,

Siue ubi tam nitidis Gambara fertur aquis.
Perge tuos, Pater, & saltus & scribere agellos,
Et facilem niueo spargere lacte Palen;
Perge tuam Venerem, Nympharũ & dicere amores;
Vsque colent Musas Itala regna tuas;
Vsque tua & seri laudabunt scripta nepotes;
Clara & Ioannis nomen ad astra ferent.

Elegorum, de uarijs argumentis, primi libri finis.

P. FRAN-

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS ELEGORVM,

de uariis argumentis,

Liber secundus.

Ad illustrißimum & reuerendißimum D. D. *Guidonem Ascanium Sfortiam , Cardinalem ampliß sanctæq; Romanæ ecclesiæ Camerarium , Elegia* I.



Lux Ausoniæ gentis , Pater inclyte Guido ,
Quem decorant patrum multa trophæa Ducum .
Principis Insubrium , fama super æthera noti ,
Est animus prudens , est ratioq; tibi ,
Est abauiq; tui germani illius , honesti
Solus amor, cineres Vmbria cuius habet .
Magni Pontificis Farnesi imitaris auitas
Virtutes , quem gens Martia luget adhuc .
Illius auspicijs Roma est lætata beatis ,
Cùm felix nimium terra Latina foret .
Non ille Italiam sæua inuitauit ad arma ;
Non populos uertit funditus ille suos :

At Latio studuit Martem prohibere cruentum,
Atque agere in duros horrida bella Getas.
Ne Romam incoleret felicem turpis egestas,
Et, quæ lætatur sanguine, uirgo furens.
Cùm torua Alecto Francisci & Cæsaris iras
Inflammaret, eos horrida ad arma uocans,
Composuit prudens auersos fœdere, quòd Rex
Annua seruaret tempora uterque decem:
Cerneret Hesperiam ne instructo feruere bello,
Et pestem atque famem prælia dira sequi.
Qui simul interijt Romæ uir tantus, ab alto
Europæ est uisus Sol cecidisse polo.
Ad saga continuò Latium uocitauit Erynnis,
Cùm penè infelix perdita Roma fuit.
Quo patriæ sortem doluisti tempore acerbam,
Et fata innumeris hæc comitata malis,
Cùm tua purpureos fleuisti dicta gementis
Despexisse Patres, consiliumq; graue,
Cùm te diuinum sapientemq; ipse probauit
Exitus, urbsq; tibi cœpit habere fidem.
Quis, dedit urbs, alto in conclaui nesciat ista
De Patre ASCANIVM præcinuisse bonum?
Ascanium norint afflari numine Diuûm,
Ascanio discant credere cuncta Patres.
Fallere non animi possunt sub uulpe latentes
Prudentem, Lycius quem dedit ipse DEVS.
Sed Pater omnipotens tandem respexit, & urbi
Ingens atque tibi SFORTIA consuluit.

Quæ modò lugubris tenebrosa nocte gemebat,
Nunc hilari gaudet Roma beata die.

Ad Annibalem Vicecomitem Borromeum, Mediolanensem Comitem illustriss. Vitaliani fil.
Elegia II.

Annibal Insubrium sate prisco sanguine Regum,
Quorum animos, uultus, uerba, comasq; refers.
Sæua alij cancrent dum bella, Ducesq;, tubasq;,
Quæsiimus plectro nos leuiore modos,
Inter & Insubres absoluimus hocce, Tridenti
Flaminius quod opus cœperat antè bonus,
Pauli Pontificis cùm iussu fortè uocatum est
Illuc concilium, sospite patre tuo.
Vidit opus cœptum tuus Paulus, & istud Ecquid,
Non domino hæc, inquit, munera grata meo?
Currentem incendit dictis, atque abstulit omnem,
Qui mihi cingebat tristia corda, metum.
Ergo per Paulum placuit tibi mittere, quæ olim
Sancta Palæstini carmina regis erant,
In quibus ætatis uertendis tempora adultæ
Consumpsi, ut possent facta Latina cani.
Vnice flos urbis, multo uigilata labore
Hæc ne temne, oci nunc tibi si quid erit,
Dum bella & paces longum diffundere in æuum
Ceruus, reges, Anguigerosq; duces,
Et patris ingenium, ac uires, & lucida auorum
Atque animos quærit ducere in astra tuos.

Sic

Sic ego, si longæ maneat pars hæc mihi uitæ,
Virtutesq; tuas, & tua facta canam:
Aeternùm utq; loqui seclis & dicere laudes
Venturis poßit pagina nostra tuas.
Quamuis quiq; canant iuncto pede, quiq; soluto
Vndique te cupidi dicere conueniant,
Vt tibi perpetuo sint multa uolumina uersu,
Ipsa audere aliquid nostra Camœna cupit;
Quæ nisi maiora & dictis superesse uideret,
Dicendisq;, minus conticuisset adhuc.
Omnibus eloquio & præstes cum ciuibus armis,
Nec tibi sit dispar laus in utroque tamen,
Sed quantùm miramur in hoc, miramur in illo,
Iusta ut cùm premitur pondere libra pari,
Quis tua facta ualet satis obsecro dicere, tantam
Et uirtutem? igitur sit uoluisse satis.
Nam parco de te nunc heros scribere, laudes
Deficiant ne humiles carmina nostra tuas.
Attamen, ut Superi, exigua hæc ne despice dona,
Munera ne uatis respue parua tui.
Cres tulit & Phœbo gratißima dona, Philemon
Atque Ioui, & coniux Baucis Atlantiadæ:
Nec fuit Alcidæ sedes ingrata Molorchi
Et cùm cesßit ab hac fortis in astra uia:
Omnibus & Baccho iucundior Icarus hospes.
Vos testes alto lucida signa polo.
Nec semper niueus mactatur taurus ad aras,
Nec semper Diuis cæsa iuuenca cadit:
Sæpius aut poma, aut placarunt spicea serta,

Aut

Aut lac, æternos micaq; parua Deos.
Hæc mea sic placeant oro munuscula, mittit
Quæ tibi pro meritis officiosus amor.

In Iuliæ Martinengæ, Stephani Marij Hugonij nobiliss. Equitis, Brixiani, Francisci iuris utriusque peritissimi fil. uxoris obitu, Elegia III.

FLosculus heu Dryadũ, Mario lacrimãte, iacebat
Effœta in gelido Iulia forte toro,
Cùm sola auditur sublimi è culmine noctu
Ferali bubo carmine sæpe queri.
In somnis etiam est semper sibi uisa relinqui
Sola, ire & longas incomitata uias,
Visa nouam sedem deserta quærere terra,
Semper agi nigris à furijsq; face,
Ac diras tædis fugere & serpentibus atris
Armatas, Orci tergeminamq; canem.
Atque sui fuit extincti genitoris imago,
Maiorum in tectis & simulacra uiri:
Hinc nocte obscura exaudiri uerba uocantis
A nata uigili uisa fuere patris.
Aduenit lectos tenebrosa nocte, malusq;
Insomnem genius terrificauit eam.
Deficiunt nerui & uires, nitor interit oris,
Purpureisq; genis excidit omnis honos.
Sæua ut Persephone nigram huic denunciat horam,
Astanti seruæ, Barbara, dixit, ades.

En

En morior misera, en morior; iam nox mihi longa
Aduenit miseræ, nec reditura dies.
En morior. Stephano, conclusero lumina postquam
Noctem in perpetuam, protinus ista refer;
Eripuisse animam fata, at non eius amorem
Ipsius dicas eripuisse mihi.
Atque meos manes ne lædat, puluere fœdans
Tempora; sed tantùm sit memor usque mei;
Desinat & nostrorum lacrimis urgere sepulcrum,
Desinat & Stygio fundere uerba Ioui.
Vna manet cunctos homines nox, & uia leti
Est calcanda, Deûm patre iubente, semel.
Nanque caput nullum fugit hîc Plutonia coniux,
Densantur iuuenum & funera mista senum.
Si quis Threïcio moderetur blandius Orpheo
Auditam fluuijs arboribusq; fidem,
Nigro uirga gregi quas compulit horrida Diui,
Non uanis redeat sanguis imaginibus.
Iulia uæ miseræ, nimium uicina paludi,
Quam sopor, Eumenides, nox, tenebræq; colunt.
Talia dicentem flauum Proserpina crinem
Aufert, atque Orco damnat eam Stygio.
Quo facto, gemituq; & fœmineo ululatu
Lamentisq; domus omnia tecta fremunt;
Et resonat totus magnis plangoribus æther,
Ac reddit uoces & domus alta refert.
Quis Marij narret lacrimas? ut sensit obisse,
Pectora mox lædens, fletibus ista dedit;
Occidit heu mea lux. perijsti Iulia dulcis,

Hei mihi Nympharum gloria nempe iaces.
Quæ niueæ frontem, uultus, oculosq́; Diones,
Et Triuiæ poteras æquiparare genas,
Quæ uirtute alijs præstabas una, fideq́;,
Inuidere oculis numina magna tuis.
Te pater inuidit Superûm mihi magnus Olympi,
Vt Cyprias habeat regna magna duas.
Occidit heu me lux: scortillum perfida Thais
Illepidum uiuit, non moritura prius;
Quàm læna ex scorto stat mala & impia, quæ se
En cunctis toto corpore prostituit.
Viuit anus lecto concordi peßimus ales,
Atque puellarum stamina rupta uidet.
Therstes uiuunt etiam, dum tarda senectus
Inducit rugas, inficit atque comas.
Occidit heu mea lux: Pilius iuuenesceret eius
Visu, Tythonus, Colchidos atque socer.
Pulchrior hæc Helena, Venere & formosior omni,
Aspectuq́; suo digna mouere Deos.
Esset uulnus idem illi optaui, contigit; eius
Ora uidere, datum est; oscula ferre, tuli;
Connubium optaui, succeßit; uiuere cum illa
Perpetuò, sed non fata dedere mihi.
Occidit heu mea lux, formosæ flete puellæ,
Tuq́; bonæ in primis serua fidelis heræ.
Eheu me miserum quàm tu sermone cadentis
Exanimasti, eius uerba suprema canens.
Atque tuum genitrix pia, quòd non ordine fata
Ire uides hominum, collacrimare genus.

O' plange ad tumulum transis quicunque sepultæ,
Et bone ter iacto puluere ciuis abi.
Occidit heu mea lux. incertam funeris horam
Qui quæris, quando sit periturus homo,
Quæ bona sint nobis, quæ commoda sidera cœlo,
Phœnicum inuentum, Lazare disperea s:
Nam quoties dixti nobis uentosus; Vtrique
Haud ueniet celeri tarda senecta pede.
Antè nigros cani incipient iam lædere crines,
Quàm noceant uobis horrida fata Deûm.
Occidit heu mea lux, uestros portabit amores
Vna ratis fati: sidera amica polo.
Armipotens Hugo stella est tibi commoda, at ipsi
Sidera Martigenæ commodiora tuæ.
Dant tibi fata uiro septem hanc superesse diebus,
Queis illam ad Stygias ipse manebis aquas.
Nanque tuo cineri Assyrios hæc dedet honores,
Flebit & effusis ante sepulcra comis.
Occidit heu mea lux: uotis implesse, marita,
Cœlum quid prodest, thusq; dedisse focis?
Non ut terra daret messem magnam, atque tenerem
Dis sine te culti iugera magna soli;
Verùm ut perpetuò mihi tecum hîc esse liceret,
Vt tecum uitæ gaudia longa forent;
Isto ut nostra sinu caderet tranquilla senectus,
Lethæa hinc tecum cogerer ire rate.
Occidit heu mea lux. uenti temeraria uota
Immites, nostras atque tulere preces.
Quid mihi nunc prodest, si findant mille iuuenci

Arua?

Arua? quid hæc prodest nũc mihi magna domus?
Quid currus, quid equi, fortunæ & cõmoda opimæ?
Te sine iucundum, te sine dulce nihil.
Non mentes hominum fortuna dat esse beatas;
Non curas aurum, diuitiæq; leuant.
Occidit heu mea lux. mihi sit iucundior ægra
Tecum paupertas, omnibus his opibus.
Hæc alij cupiant, & quæ miratur in Indis
Eois, & quæ cætera uulgus amat.
Vilia quæ duco, præ te: quin munera cuncta
Regum dispicerem, si modò te fruerer:
Si modò te fruerer, quouis mihi paupere cultu
Exiguoq; foco uita beata foret.
Occidit heu mea lux. fatis quòd, Iulia, iniquis
Erepta es, nimium lux grauis ista mihi.
O' utinam uitam à me Parca reposceret, hic ut
Nomen in exiguo marmore & ipse forem.
Proxima quam busto ducit uia forte, quadrigas
Ad dominæ tumulum sistito quæso meæ;
Illius & memorem silici quam scalpo querelam,
Matrona, hanc legito, perlegitoq; gemens.
Occidit heu mea lux. cornix annosa puellæ
Leti augur, mortis nuncia sæua, gemas.
Non puer hoc tristi aut iuuenis de funere quisquam
Aut uirgo referat lumina sicca domum.
Tuq; uicem illius doleas ô patria, & agri,
Intonsi & montes, alituumq; domus;
Flos erat ætatis, perijt quo tempore Diua;
Quatuor heu tantùm clausit Olympiadas.

Occidit heu mea lux. taceas Philomela, nefandi
Iam Terei stuprum garrula parce queri,
Parce queri: uetus est iniuria, quam soror ulta est,
Apponens Ityos uiscera cocta uiro:
Quam tulit atra dies, & funere mersit acerbo,
Cùm mihi floreret spicea messis adhuc,
Hanc Philomela geme; quam tristia fata tulerunt
Ante suos annos, hanc Philomela geme.
Talia dicentem lauri, & fleuere myricæ,
Fleuere & Charites, & Cytherea simul,
Consultus sapiens Hieronymus Hugo, Philippi
Marcellusq;, suis Adria & ipsa choris.
Attamen, ut querna solidam lacrimosa sub umbra
Flens noctem æstiuo tempore Luscinia,
Amissos queritur fœtus, quos dextera duri
A nido implumes abstulit agricolæ,
Ille sedens lecto solus miserabile carmen
Integrat, & potus immemor atque cibi.
Nulla animum Venus, & nulli flectunt Hymenæi;
Cui nisi quæ erepta est, nulla placere potest,
Nulla placere potest: formas nam despicit omnes.
Iulia prima fuit, Iulia finis erit.
Præcipitans somnum cui nox cùm suasit inire,
Hæc sit mors utinam, non mihi somnus, ait.

Ad Io. Franciscum Rodengum, Brixianum,
Aloysi fil. Elegia IIII.

Venimus

Venimus ad ſedes Campati dulcis amœnas;
Venimus ad noctes, deliciasq; Deûm,
Soli ubi, quos tanti facio, dominantur Hugoni,
Queis grauis eſt hominis unius inuidia.
Eſt quidam anormis prorſum iſtius incola terræ,
Lætari qui hominis commoditate nequit.
Reſpuit hic prudens quadruplum, nec dare partem
Vult Equiti, qua non indiget ipſe, ſoli;
Heroa ut cruciet fortem: nam ſe putat amens
Tantum interdicto ſollicitare uirum,
Qui modò non illam mercetur, quo ualet, ære,
Amplius haud curans amplificare domos:
Nam cuncta ex illo temnens mortalia, tantum
Cogitat æterni iuſſa uerenda Patris,
Cogitat & Superûm quo euadat ad æthera curſu,
Splendet ubi uirtus patria, auiq; nitor.
Sed locus hic celebris, læti & bona paſcua Campi
Et fluuij ægroto conſuluere mihi.
Nam mihi Pomona, & Fauni, Nymphæq; uidentur
Continuò medicas applicuiſſe manus,
Vt tetigi ſaltus, nemora & ſyluestria ueni,
Vt uidi iſtius numina ſancta loci.
Gratius eſſe poteſt nihil hac regione feraci,
Telluris Cybele quam colit alma parens.
Quam colit ipſa Pales, Vertumnus, Delia uirgo,
Cynthius, & Liber, Diuaq; tædifera.
Luſtrantem humana terras ſub imagine gens hac
Pertranſiſſe Iouem fert, & Atlantiaden.
Quid tellus hominis uitæ non ſufficit iſta?

Et segetes lætas, & bona uina parit.
Innumeris bobus dulcißima pabula, & edit
Gallinæ pingues anseris atque greges.
Quid pullos, pecudes, hœdos, iumenta, suesq;
Cum uitulis dulci lacteq; commemorem?
Cum nuce quid messes referam, linũ, atque columbas,
Castaneas, ceram, roscida mella tibi?
Prætereo lepores & apros, & denique ceruos,
Hanc sedem quorum copia multa tenet,
Quæ capit aßiduè Marius, comitesq; propinqui,
Non cessat uatem queis saturare suum.
Brixia, & Insubres nec habent tot commoda: sede
Viuere nec quisquam commodiore ualet.
Nulla ego prætulerim sedi huic loca, tu modò mecum
Francisce ò sapiens hic habitare uelis.
O' utinam huc libeat patria decedere ab urbe;
Viuere nam sine te nostra Camœna nequit.
Ipse agis in terris cœlestũm, uir bone, uitam,
Cui, nisi Dauidis, pagina nulla placet.
Non tua desistis cum uatibus ipse & amicis,
Et cum pauperibus participare bona.
Ipse piam cœli reginam flectere quæris
Sollicitis precibus, tergeminumq; Patrem.
Hic ego quid faciam quæris si forte, Dianæ
An ne sequar studium, quod tibi non placeat?
Hic ego nec furtim latebras intrare ferarum,
Nec curo hamatis crura notare rubis;
Hic ego, non sapiens capio Francisce uolucres;
Non mihi sunt cordi retia, uincla, canes.

Nobilitas claudat densos indagine colles,
Nobilitas captis gaudeat atque feris.
Tarda coturnicum canis & uestigia quærat
Ditibus: hi teneant accipitremq; manu,
Quem mittant in aues fugientes protinus, unco
Vt rostro & miseras urgeat ungue fero.
Me mea paupertas traducit ad ocia Musæ
Dulcia; præ cunctis nam mihi Musa placet.
Me frontis doctæ lætißima præmia, Phœbi
Me miscet superis laurea grata Deis.
Hic igitur, Panes, Satyri, Dryadesq; puellæ,
Syluani, Bacchus, meq; Thalia iuuant.
Sacratum noctu persæpe Helicona peragro,
Me sociant Orpheus Thracius, atque Linus,
Dum mulier cantu longum solata laborem,
Texenti dominæ soluere pensa solet.
Luce reuiso nemus formosum solus, ad auras
Atque cano Hugoni carmina grata tuo,
Phœbigena ex alto per quem me spectat Olympo
Semianimem, Stygijs atque reducit aquis,
Per quem uitales carpo auras; gaudeo per quem
Redditus ipse tibi, redditus ipse mihi;
Qui Diuo agresti sueuit pro uitibus uuas,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem:
Pocula bina tulit patrio spumantia uino
Pro uita Superis, proq; salute mea;
Mactauitq; Ioui tauros, albamq; bidentem
Phœbigenæ, Lycio tres pecudesq; Deo.
Cœlitibus pietas hominis placet ista benigni.

In primis Marium Dijq́; , Deæq́; beant:
Iugera telluris sunt huic quàm plurima flauæ ,
Cumq́; opibus magnis huic domus ampla nitet ;
Hordea fœcundis indeficientia mensis
Insuper huic donant lætaq́; musta pio :
Huic pascit uirides denso pecus agmine montes ,
Et furi , & domino quod satis , estq́; lupo :
Nec sibi cuncta capit sapiens , uulgaris ut æquum
Oblita , ultorem nobilitasq́; Iouem :
At tua , Rodenge , studia hîc imitatur ; amicis ,
Vatibus aßiduè , pauperibusq́; cauet .
Manè Deûm regi est supplex ; non inuidet ulli ;
Nullum cælandæ sacra docetq́; Bonæ ;
Nunquàm succenset , crepat & uera omnia , nunquã
Dicit in aduersos aspera uerba Deos :
Vtitur utendis tantùm , fruiturq́; fruendis ,
Iudæi ut Regis carmina sancta docent :
Nempe uoluptates , ut homo , sectatur honestas ,
Queis sine traduci uita beata nequit ;
Aurea quò uirtus Marij hîc me recreat , eius
Atque animus prudens , ingeniumq́; bonum :
Ipsius oblectant me prædia , regia , dulces
Et riui ad sedem prætereuntis aquæ ;
Ipsius exhilarat subtristem me hortulus uber ,
Quadrata est cuius maxima forma quidem ;
Vnde lego ficus maturas , & pyra , & uuam ,
Vnde lego celeri persica cocta manu ,
Persica, quæ ramos incuruant undique onustos ,
Queis melius regio nullius orbis habet ,

Persica, quæ facili Stephanus dextra inserit ipse
Sic, arbos fructus ut sine glande ferat;
Inserit inclusos coryli quæ persica fœtus
Pro glande, ut cuncti uidimus, intus alunt:
Inserit Armenios redolet quæ uitis honores,
Natura ut stupeat talia facta uidens.
Hîc custosq; rubens obseruat poma, pauentes
Et sæua terret falce Priapus aues:
Hîc uiret asparagus prædulcis, tempore in omni
Quem secat in cœnas ipse beatus Eques:
Hîc uiret herbarum genus omne, grandia poma,
Frondosæ uites, arboris omne genus:
Hîc est mons paruus, collis'ue, diebus in usum
Plurima ubi certis coclea nempe latet:
Hinc uitreos latices emanans dißipat & fons,
Vt bibat irriguas fertilis hortus aquas,
Decidat in multi ut lympha hinc uiuaria piscis,
Dulcius & quo nil suauius esse potest.
Verbanus ualeat, Benacus, & Eupilis: ora,
Qui placeant, pisces hæc mihi sola tulit:
Hîcq; comis arcent æstus umbracula Iacchi
Curua; Bocentauri tecta imitantur enim:
Hîcq; oculos pascunt & prata uirentia, pulcher
Atque ordo, & mira factus ab arte decor:
Hîcq; aula in tempe respectat maxima; plures
Inclusæ caueis hîc uolucresq; canunt.
Atque minis obeunt paruis has mœnia sedes,
Phœbo sacratas Pieridumq; choris:
Hîc etiam uideas ludentes sistere gressum

Auritos lepores, & celerare fugam.
Hic etiam pauidi ueniunt ad pocula damæ,
Grataq; edunt gemini pabula capreoli:
Aspexi interdum pauones tendere ad illos,
Mirariq; animal sæpe, genusq; nouum.
Quin etiam subitò famulis uenientibus, ut fit,
Virtute inuoluis parue te Echine tua.
Parietibus pictis herbæq; notæq; uidentur;
De quibus est, ô sus non ego spiro tibi.
Parietibus pictis cernas longo ordine Hugoni
Hunc hortum pisci qui coluere patres.
Vitisator mento incano Bonifacius hortos
Diuidit in series, ordine poma locat,
Cùm gelido Insubrium moritur rex amne Philippus
Anguiger, armipotens sceptra capitq; gener.
Ortus Ioannes illo huc plantaria transfert,
Filius, & ueri Bartholomæus amans:
Atque fuit proaui prudens Hieronyme legum
Iste tui frater, ut mihi dixit Eques,
Natus ab hoc sequitur Stephanus consultus, ad ipsum
Quem mittit Venetûm Brixia magna ducem;
Mittit ad Augustum pòst gens & patria belli
Tempore, qui Cæsar Maximianus erat.
Arua ut pax coluit, ficu hîc grauibusq; uolemis
Mespila conseuit, cerasa, mala, pyra.
Franciscum iuris bonus edidit iste peritum,
Illustrem Marium quem genuisse patet:
Addidit ille loco piscis uiuaria; plures
Adijcere hic statuas, multaq; signa parat.

Franciscus magni frater fuit iste Philippi,
Marcellum egregius qui dedit egregium.
Insuper hîc portam contra est ex marmore mensa,
Grata domus sculpto quam tegit ex silice:
Paruus obit paries, rubro hancq; sedilia saxo,
Omne loci cernas totius unde decus.
Tænarijs etenim domus est suffulta columnis
Quattuor, Vt pateant omnia luminibus.
Est Phaeton sedis media in testudine pictus;
Quem Iouis irati fulmina missa petunt,
Quòd Cybele hunc queritur totas amburere terras,
Dum patris à cursu cæcus aberrat equis.
Hîc si quandò chorus uel mulceat æthera cantu,
Vel tangat uarias Musica docta fides,
Extemplo auditum modulos animalia quæque,
Et cunctæ uolucres undique conueniant;
Quæ uolucres, narrant ut serui, sæpius usque
Carminis ad finem concinuere simul.
Idibus at, medios dum Sol accenderet æstus,
In sede pransus dormijt hac Marius:
Moxq; Lares referunt, custodes diuitis agri,
In somnis forti talia uerba uiro;
Martigenā quid adhuc, Eques, illacrimaris amatā?
Quid fles? atque annos contrahis ipse tuos?
Quid tua regna gemunt? uxorem ducito pulchram;
Sit consors uidui pulchra Camilla tori,
Quò tibi progenies sit tandem mascula, ut optas;
Scipio cui nomen, siue Camillus erit.
Nam grauis hæc ætas nato requiescet in isto,

Qui patrum æquabit uicta trophæa suum.
Despiciet sordes; erit hoc non æquior alter,
Quem recto & ducent præmia nulla fide.
Non illum poterunt terrere pericula fortem,
Non illum poterit uincere turba frequens:
Patria se nullo tantùm urbs iactabit alumno,
Patria gens eius fortia facta canet.


Elegorum de uarijs argumentis, secundi libri, finis.

P. FRAN-

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS ELEGORVM, de uariis argumentis,

Liber tertius.

Ad F. Alexium Hugonium, Brixianum. Elegia I.



Ratia me quoniam potuit deducere recto,
Sumq; laceßitus carmine abusus ego,
Et mens Pegasidas fuit execrarier, & per
Quam fontem Aonium Castaliamq; bibi,
Vt studuit uates gelidum proiectus in orbem,
Extinctum duri quem gemuere Getæ.
Ast ego nec matri, nec succensere Camœnis
Debeo, sed furijs, stultitiæq; meæ:
Mortali egregio tribui qui carmine prudens,
Non homini, soli sed tribuenda Deo,
Hostibus insipiens uolui qui reddere, sicut
Ira monet, factis præmia digna suis.
Nanque meum fuit ijs ignoscere cuncta, precari
Pro uita illorum numina sancta patris,
Qui peccata suo generi condonat, inultum

Si clemens homini parcere cuncta uelit;
Rex pius ut docuit cœlo demissus ab alto,
Magnæ rex animæ prodigus ille suæ.
Ipsius accipiens cœlestia dogmata, uitæ
Auctorem statui non semel ipse sequi:
At me aliò rapuit semper dementia quædam:
Nam meliora probo, deteriora sequor.
Qualis uir sapiens patriæ succurrere tendit,
Subuerti hanc magna seditione uidens,
Dum pars multa suæ studia in contraria gentis
Scinditur, & clamans hanc cohibere nequit,
Me mea diuinæ stultum pars increpat auræ,
Me cupit ad superas & reuocare domos;
Hanc ego dum fugiens telluri affigo, nec illum
Audio, qui saluum me pius esse uelit.
Temno, qui properant isto me arcere, ueterno;
Sum leti infelix en ego causa mei.
Quanto erit, ut misero mentem mihi det Deus istam
Exuere, & pergam consuluisse mihi?
Ah quoties animi insanos traducere motus
Tentaui, sapiens quò pater ipse mones?
At subitò indomiti, gero quos in corde furores,
Arripuere meas ad malefacta manus.
Attamen, in terris Superûm cui uiuere uitam
Contigit, hæc temnens ferrea secla, Pater,
Huic dare si qua meo potes ô medicamina morbo,
Lugenti magnum tu mihi numen eris:
Huic tibi fortè animo fuerit nam cura rebelli,
Iustitiæ rectas quæ docet ire uias,

Que

Quæ tu iusta probas, illa & mihi cuncta probantur.
Quæ bona sunt, Dominus nam mihi uelle dedit,
Dictata à furijs aliâs, modò carmina certè,
Offendunt quæ te, nec mihi pauca placent.
Quis mihi persuasit sceleris precor impia gesta
Laudare, à iustis corripienda uiris?
Quis mihi præcipisti fœdas narrare bonorum
Persuasit maculas in mea damna trium?
Esto: nempe mihi semper studuere maligni
Detrahere, & ferro me iugulare truci:
At pietatis erat, mendacis uerbera linguæ
Perferre, atque horum uulnera dura pati.
Quid uerò is meruit, tu rectè cuius, Alexi
Me laudem ingenij concinuisse doles?
Iam rogo parce queri meritò: iam tolle querelas.
Fecisse id, credas, est mihi pœna grauis.
Quod mihi Campati populus narrauit agrestis,
Hoc de illo scripsi, dulcis amice, furens.
Ne lacrima qualem dicis, si est, illius usque
Virtutem deinceps hæc mea musa canet.

Ad Stephanum Marium Hugonium Eq. cl. de Leonardo Mocenico, Equite clariss. cum Aloysio patruele & liberis quatuor accumbente, Elegia II.

Ipse tibi inuideam Pelops, conuiua Deorum,
Cum Dijs, & magno qui Ioue discubui:
Pallada supremus ridens, Veneremq; sedebat
Inter formosas Iuppiter ipse Deas,

Iuppiter

Iuppiter æquoreus contra illum, Mercuriusq;
Ad læuam Veneris; huncq; Cupido prope.
Nectare & ambrosia læti dum uescimur omnes,
Fert pincerna Ioui pocula blandus Amor.
Innumeras longis ducit rationibus assem
In partes iussu casta Minerua Iouis.
Inuidet intereà, digitos prensatq; parentis,
Datq; frequens palmis basia multa Venus,
Mercurio & læua mentum contrectat, & ora
Componit, motu fitq; decora magis:
Dat mihi scripta Deæ Saturnius inde legenda,
Iudicio & quærit pulchrior utra meo.
Nescio, sed cunctas & respondi, iudico Diuas
Ore & purpureis uincere utranque genis.
Nam Venerem Pallas forma superare uidetur,
Neptunus spectat quam sine fine bonus:
Purpurea est facies, facies est candidaq; illi;
Lilia non membris sunt magis alba suis:
Vt si nix minio certet, uel cana pruina;
Et folia ut puro lacte notata rosæ.
Mirus in incessu, lusu, risuq; puellæ,
Ac uultu est nulla factus ab arte decor.
Quid? quocunque pedes, quocunq; & lumina mouit,
Quanta hanc subsequitur gratia, quanta Venus,
Siue sibi compsit flauos de more capillos,
Siue haud effusis maluit esse comis,
Qualis in orbe suo graditur formosa Dione,
Mille habet ornatus integra uirgo sibi.
Cùm sedet æquales inter, seu ueste recincta
Cùm

Cùm mouet ad certos candida membra modos,
Palla urit Tyria, niuea urit ueste Minerua
Procedens, urit uocibus ore loquens.
Hanc quò Pegasides festis cecinere calendis;
Hanc cecinit docta pulcher Apollo lyra.
Nam dapibus summi grata testudine Patris
Personuit Phœbus, carmina docta canens.
Quæ cuncta in primis cupiam subtexere chartis,
Me DEVS illorum si meminisse uelit.
Cùm Superis igitur, quorum nos cura tuetur,
Et defendit amor, edimus hercle Mari,
Mille Bonæ dum tu libasti pressa Camillæ
Oscula, dum femur supposuitq; tibi.
Perge, quoad uirgo pariat formosa Camillum,
Ante tibi qualem præcinuere Lares.

Ad Hieronymum Hugonium, Brixianum, iuris utriusque peritiss. Bonifacij filium, Elegia III.

ME sine tu sacrum potas Hieronyme fontem,
Et iuga Parnasi Lucia docta petit:
Me Venetus retinet iudex in carcere nigro
Inclusum, quærit qui malefacta uirûm.
Quid chartæ illudam? quid cœpta Elegeia dicat?
Quid doleam illacrimãs? quid mea fata querar?
Quo me cunque fero, tristi Bellona flagello
Cum Diris sequitur, corpus ut umbra solet.
Me Fortuna insana ferit; me candida, lætos

Auertens uultus, Pax inimica fugit.
Mutantes Solis quales Hydropici amictum,
Cùm patriam fugiunt, se tamen haud fugiunt,
Deserui natale solum; fatalia, quæ me
Assiduè uexant; non mala deserui.
Nescio, cur Nemesis tendat Dea perdere ubique
Immeritum, omnino meq; perire uelit.
Non ego sacrilegis admoui credulus aures,
Nec dixi arcanæ sacra tegenda Deæ:
Non ego respersi fraterno sanguine dextram,
Non succos homini mortiferosq; dedi.
Denique in aduersos non solui ora impia Diuos,
Nec ciui innocuo causa perire fui.
Quid pater hæc igitur Superûm fert Iuppiter almus,
Insonti qui homini prospicit, atque malo?
Huic ecquid per eum succedunt omnia, prout uult,
Illeq; continuis lacrimat usque malis?
Cogitur ipse necem sibi quid consciscere Brutus,
Atque Cato sapiens, non renuente Ioue?
Quid super iniustas uolitat Victoria partes,
Quam gentem imperij dira cupido tenet?
Atque ego me fateor nescire hæc, nobilis Hugo,
Soluere: tu leges consule quæso tuas;
Ac rescribe tui quæ consolentur amici
Luctum: felle mihi noxq;, diesq; madent.

Ad

Ad Hieronymum eundem, Elegia IIII.

ME tenet alta Mari non firmũ regia magni.
Si, quid agã, quæris; est mihi uita grauis.
Ex quo me uehemens lacerauit tempore febris,
Defuit & uirtus, robur & omne mihi.
Sollicitudinibus quatitur mens intima, curæ
Ingentes animum discruciántq; meum.
Nam uidi in somnis charam perijsse parentem,
Qua mihi in hoc fuerat dulcius orbe nihil.
Deserui patriam; uestram me contuli in urbem,
Quæ studia, ut nosti, despicit Aonidum.
Ac reuenire Lares nolim modò; lumina uatis
Offendit quoniam gens inimica tui,
Offendit quoniam rabies uesana Boterri,
Ingenium cuius pagina nostra refert,
Ingenium cuius noscent secla omnia; auarus,
Nostra quoad uiuent carmina, notus erit;
Notus erit Thuscis, Belgis, Germaniæ & oris,
Fortibus Hispanis, Insubribusq; bonis;
Excidit huic quoniam: Genus irritabile uatum,
Quos time, ut irati fulmina missa Iouis.
Est Equitis pietas in me sed tanta potentis,
Vt Musa hanc prorsus dicere nulla queat.
Multa alijs certè, sed ei & tibi debeo cuncta;
Quàm sibi, Francisco consulit ipse magis.
Commoda quid memorem, regales & tibi lectos
Atque epulas? eius nam mihi cuncta patent.

Ast aduentat hyems: Publi bone sis memor Hugo,
Promissis maneas; nam tibi gratus ero,
Quò tua me pietas ne deserat oro, fidesq;.
Consule quæso mihi, consule quæso tibi.
Si mihi prospicies, illo te carmine dicam,
Auspice quod Phœbo *secula cuncta legant.*

De Hieronymi Dongellini, Brixiani, Medici philo- *sophiq; singularis bibliotheca,* Elegia V.

ET *cultus Sophiæ, & medicina, & copia linguæ*
Et lex sacra, hominem quattuor ista beant.
Ad bona quà uenias docet immortalia priscus
Moses, *& summi filius ipse* Patris:
Hic *&* Aristoteles *docet, aque magister, ab omni*
Traduci *ut possit uita beata pio:*
Hippocrates *sapiens,* Galenusq; *indicat ægrum*
Curari corpus qua ratione queat:
Denique *demonstrat tibi, qualis debeat esse*
Dicendi *ubertas,* Tullius, *atque* Maro:
Quos in Amalthea *pictos est cernere magna*
Dongellini *omnes, hospitis egregij;*
Cuius & ingenium cœleste, & mentis acumen
Dicam, *& uirtutes, & pietatis opus,*
Cùm, te destituens nutrix Verona Catulli,
Venerit Adriacos *nostra* Thalia *sinus.*

Elegorum de uarijs argumentis tertij libri finis.

P. FRANCISCI SPINVLAE MEDIOLANENSIS ELEGORVM,

de uariis argumentis,

Liber quartus.

Ad Aloysium Mocenicum, Leonardi Equitis clariss. fil. Elegia I.



Gens Asiæ regis Troiani castra secuta
Huc uenit quærens tecta focosq; sibi:
Et sedem Adriacis Venetam fundauit in undis;
Neptuni ut magnis tuta sit auspicijs.
Hanc Iouis æquorei coniux obit Amphitrite,
Hanc & Nereides undique circumeunt;
Huic pater ignipotens fabricauit fulmina & arma,
Vrbe hostes ualeat queis prohibere feros.
Vrbs & in immensam concrescit maxima molem,
Complures populos & ditione tenet.
Ipsius imperio Veneris Cypros insula paret,
Tuta alto parent Gnosia regna mari.
Eius Cenomani, Vincentia, Brixia, Crema,
Antiqua & iussum gens Patauina facit.

Oppida quid memorē huic parentia singula, & oras,
Diuitiasq; eius, imperiumq; potens?
Quæ uires certè regionis nullius, & gens
Non ulla Europes æquiparare ualet:
Quid multa? hæc omnes inter caput extulit urbes,
Quàm maior Cannis inclyta Roma fuit.
Quàm Venetûm pubes simul unicè uidimus ô flos,
Quem certatim ornant Iuno, Minerua, Venus,
Vt formosa suis Nymphe me cœpit ocellis,
Cui Romam patrios posthabuiq; focos.
Non urbē in nostro huic peragrans Sol ætheris auras
Pulcher, in aduerso nec uidet orbe parem.
Dum Tulli & bustis insultat uinitor Anci,
Altaq; desertas occulit herba domos,
Vrbs tua præfulgens stet præstantißima, poßit
Gens Venetûm duris & dare iura Getis:
Nomen & extremos hinc latè extendat in Afros,
Barbara quà Nilus profluit arua tumens.
Quicunque obsistit spacioso terminus orbi,
Hunc fera contingant illius arma breui.
Quà debacchantur nebulæ, pluuijq; liquores,
Et gelidam uastant frigora semper humum,
Quà tellus ardet nimio subiecta calori,
Baccho & tædiferæ terra negata Deæ,
Aruis quòd propior curuum Sol fertur in orbem,
Hæc regina potens omnia regna domet;
Dum tu nobilium Venetorum sanguis Olympi
Ad magni affectas cœrula templa uiam,
Quà radiant atauiq; tui, quò sanctus anhelis

Martis equisq; parens nigrum Acheronta fugit;
Dum sapiens stultos iræ & parere furores,
Indomitam menti luxuriamq; iubes;
Pocula dum Circes, Sirenum & carmina uitas,
Ingenuus ne sis sub meretrice mala,
Ne cupidus potans uiuas & turpis & excors
Vel canis, immundo sus uel amica luto,
Verum posteritas te laudibus ut ferat, atque
Dicant uirtutes omnia secla tuas.

Ad Ioannem Huraltum, Boistallerium, uirum ornatiss. Regium ad Venetos legatum,
Elegia II.

NOnus Ioanne legatos si bone tales,
Carolus ad Venetum miserit usque Ducē,
Primi gesta decusq; imitetur, ab hoste cruento
Ausonij cuius rapta trophæa canunt.
Principis, ingentem nobis qui condidit urbem
Insubribus, faciem, uerba, comasq; refers.
Templa, focos, ædes & diruit ille Quiritum;
Hostem cum repulit Manlius arce ferum.
Si fortes Galli tibi dent arma, atque phalangas,
Tu populos orbis totius hercle domes:
Delitet in cultu prolixo maxima Achilli
Alterius uultus, robur, & ingenium.
Hi quò te domini rerum, gens atque togata
In primis & amant, plus alijsq; colunt.
Non'ne, senatores Veneti ut statuere, Philippi

Ista legatus cedit in urbe tibi?
Hic tua quid memorem studia? quid Apollinis artes,
Te quibus oblectas, quæ tua uerba crepant?
Vatis Alexandro numerosa ut carmina Homeri,
Grata est auriculis nostra Thalia tuis.
Quid? ternos flores, alba & qui lilia semper
Dilexi, & Gallos, ut pater antè meus;
Candidus ipse, grauis, laudatus, amabilis heros
Nunc rapis, in partes meq; meosq; tuas.
Gallorum Insubres & sanguis nos sumus omnes,
Docta grauis Titi narrat ut historia.
Vos igitur solos dicam, uenerabor, amabo
Magnanimos Celtas, & sine fine canam.
Vos, regẽ & uestrum, si quid mea carmina possunt,
Et patrem illius sidera ad alta feram,
Cum rege egregio qui post tot prælia ad almam
Pacem animum uertens fœdera castus init.
Regis aui claros celebres ô musa triumphos
Francisci, hunc unum singula uerba sonent,
Cuius nempe duces populiq; perennia uicti
Immortalis erunt atq; trophæa fides.
Ingenium cuius, dona, & fortissima facta
Vel laudant hostes, quem bonus omnis amat,
Quo melius uidit nil unquam Gallia, regem
Cui uidere hominem secula nulla parem.
Illius ô sanguis studia, ingens Carole, tanti
Omnia, uirtutes ac imiteris aui:
Et tu quò possis hominum uolitare per ora,
Nec dicare eius degener esse nepos,

Quò

Quò Superûm possis euadere ad æthera cursu,
Splendet ubi uirtus Amphytrioniadæ,
Albus ubi radiat Cygnus, fratresq; Lacænæ,
Inter ubi Perseüs lucida signa micat;
Excidat ut nunquàm partum tibi nomen ab æuo,
Virtuti atque tuæ stet sine morte decus,
Cùm tibi posteritas templum de marmore ponet,
Quà tardi Sequana flexibus errat aqua.
Ipse eris in medio solus, templumq; tenebis,
Cui puer, atq; decens dona puella feret.
Cursibus & crudo certabit Gallia cæstu,
Quò populi & gentes undique conuenient.
Huraltus Tyrio ponet conspectus in ostro
In medio Gallis munera danda suis;
Fluminis Huraltus currus agitabit ad undas
Mille, & certanti præmia uicta dabit.
Gens tua aui faciet pugnas solido ex elephanto
Auroq; in foribus, patris & arma tui;
Vndantem bello faciet, magnumq; fluentem
Eridanum uictos Insubriumq; Lares;
Atq; addet domitas Belgarum in finibus urbes,
Cæsarei pulsas mox aciesq; ducis,
Et geminos icto iungentes fœdere dextras
Reges, Henricum Cæsaris atq; genus.
Inuidia infelix tortos Ixionis artus,
Fumosa metuet tres furiasq; face,
Tot pœnas metuet scelerũ, haud superabile fatum,
Quæ uersant celeres noxia membra rotæ:
Immortale iecur metuet, tondentis obuncum

Rostrum auis, hoc hominis suppliciumq́; graue?
Sed quid ago demens? lugubris parce Camœna
Tam magna hæc paruis extenuare modis.

Ad Musam, cùm esset Arquati, Elegia III.

O Cyus en celeri labuntur tempora dicto,
Et Ioue diffugiunt; Musa, probāte dies.
Qui formosus eram, matura en ut rosa turpis
Iam defloresco, iam moriarq́; breui.
Quid mihi diuitiæ, Veneris quid cæca uoluptas
Nūc prosunt? quid opes, gloria, fastus, honos?
Qui uixi tecum, iam nunc miser occido, Musa,
Quiq́; fui, iam me fata fuisse uolunt.
Omnia qui Diuûm generat, Natura parens'ue
Humanum frustra condidit ecce genus.
Quanta sit illius cernis constantia: natis
Quæ dedit, extemplo corripit illa suis.
Non'ne fuit satius nobis nil hanc dare prorsum,
Quàm sua tam subitò, quæ dedit, eripere?
Vel tantum uitæ non debuit huius amorem
In natorum animis ingenerare Dea.
Omnino uel si cuperent nos dura perire
Fata, darent nobis absq́; dolore mori.
Quid multis? homini creto Natura suauis
Non mater, uerùm sæua nouerca fuit.
Nil quorum intererat, ceruo & cornicibus æuum
Amens tum longum uiuere non'ne dedit?
Ast hominem genitrix crudelis & impia, causas

Discere cùm rerum cœpit, obire iubet.
Non dedit antè mihi uolucrem cognoscere uitam,
Quàm ruga heu uultus cœpit arare meos.
Nam mihi perpetuus quondam esse uidebar, inani
Cùm spe lactarent Cypria, Bacchus, Amor.
At modò me cinerem, bullam uocat usq;, senecta
Et barbam & canas inficiente comas.
Vt uati Hetrusco, non uerba hæc desinit unquàm
Inculcare mihi; Puluis, & umbra, peri.
Augmine donato terras atq; aëra, rerum
Principia, ut cecidit patribus antè tuis,
Francisco ut cecidit uati: qui uixit, & istic
Mortuus est. hæc sunt nanq; sepulcra uiri.
Extremos uersus, Mater sanctissima CHRISTI
Succurre, hîc cecinit, uirgo decora mihi.
Tu quoq; sic Pataui in regione peribis; ut hospes
Francisci titulos hîc utriusq; legat.
Extremam ut patriæ non auram is reddidit, ossa
Relliquiasq; manet terra aliena tuas.
Portabis scripta hinc nigras Acherontis ad undas,
Et uersus: uiuet non tua Musa diu.
Pieris, haud uno mecum omnia munera lecto
O' precor auertat funeris atra dies.
Carmina non pereant, à te dictata, laborq;:
Carmina sint uitæ tot monimenta meæ.
Illius & nemo contemnit ut ossa uiator,
Inscripta at tumulo carmina terna legit;
Sit mea præteriens ut noscat quisq; sepulcra,
O' cinis, hîc dicat, Spinula doctus erat.

Ad

Ad Primum, cognomento Comitem, uirum integerrimum, Elegia IIII.

Nos modò, Prime Comes, dulcis Patauina iuuẽtus,
Nos Musæ, Dryades Meduaciq; tenẽt:
Sunt ubi Dardaniæ turres, & mœnia gentis,
Sunt ubi priscorum tot monumenta uirûm.
Vidimus hic ueterem Troiani Antenoris urnam
Illius, hanc urbem quem posuisse ferunt;
Vidimus historici fumosa sepulcra, Quiritum
Ordine qui scripsit fortia facta ducum;
Vidimus & tumulum Francisci uatis Hetrusci,
Quem uetuit patrios gens sua adire focos;
Deniq; relliquias & uidimus ossa tyranni,
Qui coluit Musas illius atq; fidem.
Hic mecum prudens Aloysius ipse frequentat
Castaliam, sacros Aonidumq; choros.
Sæpius hic iuuenis Rotioni nobilis hæres
Obuius est nobis Ambrosiusq; pater,
Ambrosius, consors patriæ, interpresq; Deorum,
Qui tibi conuictor patria in urbe fuit.
Inclyta miramur dudum certamina magni
Et Robortelli, Sigoniiq; grauis.
Sæpius optaui, ut prudens Calemerus, & tu
Nobiscum essetis, Crassus & iste bonus.
Impiger ad Crassum genti nam condere solùm
Huic scripsi æternos aurea secla Deos:
Quæ lege Prime Comes Superis gratissime cunctis!
Et celer Adriacas obsecro uise domos.

De Io. Baptistæ Porri, Aplanensis, ingenio, Elegia V.

Porrus amat Musas; Musæum condidit illis:
Quò uenunt Nymphæ, Cypria, Iuno, Charis,
Quò Linus, & quò se uates non contulit unus,
Illius & cecinit numina sancta loci.
Quò simul Aonides properant, Helicone relicto,
Vt Porro dictent carmina docta bono.
Porrus amat Phœbum; uiridis tibi laurea, Agyieũ,
Aplani in medijs ædibus alta nitet:
Cuius heri patula stertens ego fortè sub umbra,
Audiui hæc Lycium dicere uerba Deum;
Hîc mea quòd laurus colitur pulcherrima, Porro
Sic dulci, ut Daphne, uita perennis erit.
Hinc anguem atq; lupum uidi in me currere hiantes;
Traijcit & iaculis Phœbus utrunq; suis.
O' mihi, conclamo, felicia somnia; scribæ
Et tua ludetur, sancte Roberte, fames:
Nosq;, ubi Ioannes Marius, cognomine Villa,
In somnis uidit, perueniemus eò.

Ad Florentios fratres germanos, Mediolanenses, Elegia VI.

Vicisti tandem Hieronyme, tuq; fugasti
Regno finitimos ô Theodore duces,
Inuicti queiscum gesßistis bella tot annos.

Vectibus

Vectibus effractis ostia clausa patent:
Uxorem & dulces natos iuuat hostica regna,
Et templa, & sedes, atque uidere focos.
Quæ tantum potuit multis suadere malorum,
Quid noua uos terret uanaq; relligio?
Aut uos quid stultis uexat rationibus, ista
Et turbat dictis pectora terriloquis?
Diuûm ulciscentur uos numina magna, suoq;
Ipse gregi uindex Spiritus almus erit.
Est sancta illius grex concio totius orbis,
Quæ Patrem, ipsius progeniemq; colit:
Eius non isti, quos gloria uana coëgit,
Sunt grex, qui haud pura numina mente uocant.
Exultate igitur fratres: certamina uestra
Hi ciues memorant, perpetuoq; canent.
Florebunt iugi monumento hæc insita facta,
Facta licet toties tot cecidere uirûm,
Qui supra bellum Troianum, prælia & urbis
Romuleæ gentes perdomuere feras.

Elegorum, de uarijs argumentis, quarti libri finis.

